MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-19

AUTHOR:

SCHROEDER, JOHANNES

TITLE:

QUAESTIONES DONATIANAE

PLACE:

KOSLIN

DATE:

1910

Master Negative #

91-80313-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schroeder, Johannes: 1886- Quaestiones Donatianae. Köslin 1910: Hendess. 77 S., 1 Tab. 8°

Königsberg, Phil. Diss. v. 26. Sept. 1910, Ref. Jeep

[Geb. 31. Dez. 86 Köslin; Wohnort: Köslin; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Gymn. Köslin Reife O. 06; Studium: Halle 3, Berlin 1, Königsberg 5 S.; Rig. 22. Juli 10.] [U 11. 2771

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11


IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10-29-91 INITIALS M.B.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES DONATIANAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOHANNES SCHROEDER
COESLINENSIS

KÖSLIN
1910

TYPIS EXPRESSIT C. G. HENDESS.

Gedruckt mit Genehmigung der philosophischen Fakultät der Albertus-Universität zu Königsberg i. Pr.

Referent: Prof. Dr. L. Jeep.

LUDOVICO JEEP

MAGISTRO CARISSIMO

SACRUM

I.

Scholia in Terentii comoedias, quae sub Donati nomine circumferuntur, non ad unum Donatum, sed ad complures commentatores redire apertum est. Permultis enim locis interpretationes bis terve repetitas invenimus. Qua de re iam saepe actum est. Primus Ludovicus Schopen „De Terentio et Donato eius interprete" Bonn 1821, quo modo commenta essent composita, ostendere conatus est. Cuius sententia est maximam quidem eamque optimam commenti partem ab eo, cuius nomen profitetur, magistro abiudicandam non esse, sed repetitiones a librariis grammaticisque profectas. Schopeni sententiam secuti sunt in universum R. Sabbadini 'Studi Ital. di. fil. class' II. 14 et Wessnerus, diligentissimus Donati editor[1]), qui quo modo Sabbadinium secutus sit, ipse explicavit in editionis suae vol. I. p. XLVI. Ad Donati genuina commenta putat Wessnerus duos excerptores suas sententias adiecisse: postea scriptorem quendam has omnes adnotationes, et genuinas et a magistris posterioribus ortas coniunxisse, ut hinc permultae repetitiones factae essent, hinc quoque perturbationes scholiorum ordinis. Neque desunt, qui scholia genuina ab interpolatis seiungere conati sint. Ad quaestionem, cui singulae partes commentorum essent tribuendae, propius accessit Hermannus Usener („Vier lat. Grammatiker in Rom" in Mus. Rh. XXIII. (1868.) p. 493 sqq.) Qui iudicat commentum, quod nunc habemus, ex Donati esse compilatum et Euanthii[2]) commentariis: quamquam fieri nondum

[1]) Aeli Donati quod fertur commentum Terenti rec. Paulus Wessner. Leipzig. (Teubner.) 1905—1908.

[2]) Hieron. chron. ad a. 358: „Euanthius eruditissimus grammaticorum Constantinopoli diem obit."

possit, ut ex scholiis totum genuinum Donati commentum eliciatur, tamen res rhetoricas ad Donatum pertinere, quem inprimis in eo litterarum genere versatum fuisse constat, concludere licere, sicut infra verbo tenus vernacula lingua addidi: „In gar manchen Fällen wird man leicht und sicher zwischen dem Gut des Constantinopolitaners und des Römers scheiden können, indem man die Richtung, die wir wenigstens von dem Rom des 4. Jahrhunderts einigermassen kennen, bedenkt. . . . . Dem orator urbis Romae steht es zu, die Kunst des Dichters unter rhetorische Gesichtspunkte zu stellen."

At Henricus Gerstenberg in dissertatione, quae inscribitur „De Eugraphio Terentii interprete" Jena 1886, scholia rhetorica, quae in Donati commentis inveniuntur, ex Eugraphii commentis excerpta esse demonstrare studuit. Nam cum maxima inter scholia rhetorica Donatiana atque Eugraphiana similitudo esset et Donatianorum pleraque breviora essent, haec ex Eugraphii commentis in corpus Donati transscripta esse voluit. Qui autem in animo habet viros doctos Eugraphium quinto vel sexto saeculo adscripsisse[1]), cum Donatum quarto saeculo fuisse constet[2]), is facile huic Gerstenbergii coniecturae diffidat. Quare Karsten (Mnem. XXXIII. (1905.) p. 127) scholia Donati rhetorica Eugraphianis tam similia esse, ut ea ex huius commentariis translata esse sit coniciendum, negat, cum discrepantiae numero et pondere non minores quam similitudines sint. Sed Wessnerus, scriptorum ad scholia pertinentium vir peritissimus, in disputatione, quae „Der Terenzkommentar des Eugraphius" (Rh. Mus. LXII. (1907.) p. 203—228) inscribitur, et figuras et res grammaticas interpolationis valde suspectas esse docet, ut vix ex Eugraphii commentis

[1]) Wessner. vol. III. praef. VI. „Non igitur temere facere nobis videmur exeunti quinto vel ineunti sexto saeculo auctorem commenti adscribentes, id quod suadent et sermo Eugraphii et omnes operis indoles atque materia." — Pauly-Wissowa. Realencyclopaedie. VI. 1. p. 990. s. v. 'Eugraphius.'

[2]) Hieron. chron. ad a. 353: „Victorinus et Donatus grammaticus, praeceptor meus, Romae insignes habentur."

in Donati fluxisse possint. Etiam Gerstenberg (l. c. p. 87) figurarum maximam partem e commentis Donati in commentum Eugraphii receptas esse suspicatur.

Ut scholia recte secernerentur, Sabbadini (Studi Ital. di fil. class. II. 13. 14.) sententiam Schopeni secutus ex modo, quo singula inter se conexa sunt, de auctoribus concludere voluit, ut partes, quae incipiunt a voculis 'ego' vel 'sed ego', interpolatori adscriberet. Sic scholii huius (Andr.[1]) II. 4. 7. v. 410): „4. Commutaturum altercaturum. in Phormione sic (IV. 3. 33—34) 'tria non commutabitis verba hodie inter vos', quod est dabitis atque accipietis, id est iurgabitis. 5. Ego puto 'commutare verba' esse pro bonis dictis mala ingerere, hoc est iracundia in maledicta compelli" partem alteram ab 'ego' incipientem commentatorem posteriorem redolere putat.

Smutny („De scholiorum Terentianorum quae sub Donati nomine feruntur auctoribus et fontibus quaestiones selectae" in „Dissertationes philologae Vindobonenses" vol. VI. p. 112 sqq.) adnotationes eas, quae diversis locis repetuntur, inquisivit atque mihi quidem suo iure statuisse videtur illas non a diversis interpretibus scriptas esse, sed unum magistrum res memorabiles pluribus locis lectoribus illustrare voluisse, ut eas facilius memoria tenerent. In scholiis autem repetitis, quibus singulorum verborum vis explicatur, saepius fit, ut diversae sententiae voculis 'sed' vel 'et' coniungantur. Quorum alteram partem a voculis 'sed' vel 'et' incipientem secundo cuidam scholiastae attribuit, id quod mihi non ubique rectum videtur esse, quia Donatus quoque duas sententias his voculis coniungere potuit. Simili modo scholia lexicographica, ut ita dicam, perquisivit multaque esse interpolata verisimile reddidit.

Primus post Wessneri praeclaram editionem nuper in lucem emissam, quantum video, Karsten operam dedit, ut hanc quaestionem finiret, in compluribus disputationibus, quae leguntur in Mnemos. voll. XXXII. (1904.) p. 209—251, 287—322; XXXIII. (1905.) p. 125—153, quem

[1]) Andr. = Andria. — Eun. = Eunuchus. — Ad. = Adelphoe. Hec. = Hecyra. — Ph. = Phormio.

quidem locum supra (p. 6) iam tetigi, p. 229–268; XXXV. (1907.) p. 1—44, 192—249, 274—324, 403—439. Karsten ea ratione usus est, ut scholia in singula genera divideret atque deinceps examinaret. Quinque commentatores in interpolando versatos esse putat. Atque primum de secundo capite (Mnem. XXXII. p. 287 sqq.), quo Karsten 'de quatuor scholiorum interpolatoribus praeter philosophum' agit, loquar, quia omnia, quae hac illius disputationis parte continentur, mihi probantur. Ex his magistrum A esse 'fidum Achatem Donati', cuius adnotationes inde cognoscantur, quod incipiant a particulis 'ergo, nam, enim, est, id est'. Magistri B esse scholia, quorum in initio exstet verbum 'deest'. Deinde magistros C et D internoscendos esse docet Karsten, quorum alter libenter Donatum impugnet et exempla Vergiliana, raro Ciceroniana, nonnunquam Terentiana adhibeat, alter contra saepe sese applicet Donato utaturque saepe formulis 'hoc est, id est'.

Uni horum quinque interpolatorum, quem 'philosophum' vocat, magnam partem scholiorum repetitorum, quae ad sermonis differentias, significationes et etyma vocularum, sententiarum interpretationes pertinent, attribuit: cuius adnotationes respicere, ait, ad scriptorem quendam proletarium, qui a sano et simplici Donati iudicio mirum quantum sit remotus. Si omnia, quae Karsten interpolata esse dicit, ex commento eiecta essent, quin melius fieret, dubitari non potest; attamen, cum multa eorum, quae contendit, certis argumentis careant, haec quaestio nondum ad finem adducta est. Comprobent meum iudicium exempla, quae sequuntur.

Ad Andr. I. 1. 137 (v. 164) hoc scholion exstat: „Mala mens malus animus 'animus' voluntas est, 'mens' etiam ratio." Hic Karsten (Mnem. XXXII. p. 222) Donato „animus voluntas est", philosopho „mens etiam ratio" attribuit. Qua re altera pars a priore discrepet, ut hoc scholion diversis commentatoribus tribuendum sit, ego non intellego.

Ad Adr. V. 2. 1. (v. 842) adnotatum est: „3 Et otioso securo, quia negotium sollicitudo est." Karsten

(Mnem. XXXII. p. 225) 'otioso securo' Donato cur assignet, reliqua ab hoc abiudicet, argumentis non probat. Sed ubi argumenta desiderantur, nobis non persuadetur.

Ad Andr. v. 8 legimus haec: „7 Animadvertite legitur et 'attendite'. unde manifestum est et 'attendite' et 'advertite' non esse plenum, nisi addideris 'animum'."

Altera enuntiati particula, quae ab 'unde' incipit, a Karsteno (l. c. p. 229) philosopho tribuitur, quia haec verba hausta sint ex scholio ad Eun. v. 44 adnotato: „Animadvertite nos ἐλλειπτικῶς dicimus advertite ut attendite, veteres plene animum advertite." At fieri potuit, ut Donatus ipse ad locos similes Terentianos interpretationes similes adderet. Etiam mirum est, quod Karsten eandem argumentationem, qua hic utitur ad scholion quoddam Donatianum non esse demonstrandum, alio loco adhibet, unde adnotationem a nemine nisi a Donato ortam esse concludat. Andr. v. 7 enim: „Vetus plerumque refertur ad laudem, interdum ad vituperationem." — „Haec", inquit Karsten (l. c. p. 219), „Donati esse ostendit scholion ad Eun. v. 688", ubi scriptum est „vetus ad vituperationem ponitur modo, non ad laudem" cet.

Tertio capite (Mnem. XXXIII. p. 125 sqq. 222 sqq.) scholia rhetorica Donati, magistrorum, Eugraphii inter sese comparantur. Scholia rhetorica, quae magistris debeantur, ea re a Donatianis differre Karsten (l. c. p. 133) putat, quod non ad fabularum interpretationem, sed ad discipulorum institutionem spectent. Quo fundamento usus ille vir doctus scholia rhetorica praeter ea, quae ad figuras pertinent, interpolata a genuinis seiunxit, atque eum hac ratione multum profecisse concedere non dubito.

In volumine XXV. denique Karsten de scholiis similibus disseruit. Quibus in scholiis secernendis ita egit, ut quoties iuxta adnotationes elegantes, sinceras, pellucidas, eruditas apparerent scholia nugatoria et inepta, haec sine haesitatione interpolatoribus imputanda esse contenderet velut in hoc exemplo (l. c. p. 14): Hec. II. 1. 11 (v. 208): „3 Resciscere est, cum quod de

industria celatur, vix argumentorum vi agnoscitur." — Hec. III. 1. 5. (v. 285): „'resciscere' autem est vix reperire, quod quis de industria quaerat celatum." — Hec. V. 4. 27 (v. 867): „4. Resciscere est recognoscere et vix invenire, quod quis nescierit." Hanc tertiam adnotationem imperitum imitatorem prodere ait Karsten, sed ego eam stultiorem esse quam duas ceteras non intellego neque quisquam illam quoque tertiam particulam a Donato ortam esse posse negabit.

Itaque eum, qui talibus discriminibus utitur, facile in errores incidere posse apertum est neque mirum, quod etiam Karsten erravit. Scholion enim ad Andr. v. 218 spectans „et quidem si in verbis sunt, *παρόμοια* dicuntur, si in nominibus, *παρονομασίαι*" Donato attribuit; Hahnius autem (l. infra c. I. p. 11 sqq.) haec verba, cum a praeceptis, quae Donatus in arte sua grammatica praebet, discrepent, a Donato profecta esse non posse demonstravit. Ut igitur Karstenum multum ad scholia seiungenda contulisse nemo negabit, sic eum quaestionem ad finem non adduxisse patet.

Novam viam praeivit nobis etiam Guilelmus Hahn („Zur Entstehungsgeschichte der Scholien des Donat zum Terenz." I. Halberstadt. 1870. II. Stralsund. 1872.) Scholiorum enim locos, quibus figurae elocutionis et vitia orationis leguntur, cum praescriptis a Donato in arte conlatis comparavit, ut ea, quae cum arte convenirent, etiam in scholiis Donato attribueret, quae non convenirent, ab hoc grammatico abiudicaret. Sic priore disputatione Hahnii figurae elocutionis zeugma, hypozeuxis, syllepsis, epanaphora, parhomoeon, paronomasia, homoeoptoton, homoeoteleuton, polyptoton perquisitae sunt magnamque partem scholiorum, quae has figuras continent, ad Donatum redire non posse demonstratum est[1]). Altero libello vitia

[1]) Hahnii ratio quaerendi exemplo illustretur (I. p. 4.) Donati *συλλήψεως* definitio (G. L. K. IV. p. 397) est: „Syllepsis est dissimilium clausularum per unum verbum conglutinata conceptio, ut 'hic illius arma, Hic currus fuit'. hoc schema ita late patet, ut fieri soleat non solum per partes orationis, sed et per accidentia partibus

orationis cacemphaton pleonasmus, parhelcon[1]), ellipsis[2]), aposiopesis[1]), anacoluthus[1]), amphibolia tractata sunt. Sed non omnia laudanda sunt, quae Hahnius explicavit, praesertim quod commenti Donati editione a Wessnero comparata nondum potuit uti. Multis enim locis eae lectiones, quas antiquae commentorum editiones praebebant, correctae sunt. Ita in adnotatione ad Phorm. II. 2. 26 (v. 340) non iam legimus '*πλεονασμός*', sed '*τῷ ἀρχαισμῷ*'. In capite „Elleipsis und Aposiopesis" inscripto de locis, quibus *ἔλλειψις* invenitur, Hahnius nescio qua re non egit, sed egit de aposiopesi, quam Donatus non in vitiis habet. Accedit, quod Hahnius non omnes locos ad hoc spectantes tractavit. In numero figurarum elocutionis *πολυσύνδετον* et *ἀσύνδετον*, in numero vitiorum *περισσολογία, μακρολογία, ταυτολογία, ἔλλειψις, ταπείνωσις* desiderantur. Praeterea non totam hanc provinciam rerum rhetoricarum perquisivit. Desunt etiam tropi et figurae sententiarum. Itaque mihi est officium, quae ab Hahnio omissa sunt, addere, deinde, eodem modo, quo vir doctus

orationis. Item syllepsis est, cum singularis dictio plurali verbo adiungitur, ut

sunt nobis mitia poma
castaneae molles et pressi copia lactis."

Qua cum definitione Hahnius illos locos comparat ad quos '*σύλληψις*' adnotata est. Ad Andr. 844:

„Ego commodiorem hominem adventum tempus non vidi"

adnotatum est: „Commodiorem hominem adventum tempus: *Σύλληψις*." Quod exemplum, cum perbene cum Donati definitione supra allata consentiat, Hahnius suo iure Donato vindicat, alia autem exempla, quippe quae minime ad illam definitionem quadrent, ab eo abiudicat, velut hoc: Andr. 868:

„Nonne te miseret mei?
Tantum laborem capere ob talem filium?"

Ad hos versus commenta adnotant: „Tantum laborem capere: *Σύλληψις*. Assumendum est enim extrinsecus me."

[1]) In Donati arte non exstat.

[2]) Quod Donatus *ἔλλειψιν* quoque in numero vitiorum orationis habet, ab aliis rhetoribus differt, qui eam elocutionis figuram ducunt velut Aquila Romanus. Halm. Rhetores Latini Minores. Leipzig. 1863. p. 37. — Carm. de figg. H. p. 70. — Phoebammon. Walz. Rhetores Graeci. Stuttgart und Tübingen. 1832—36. VIII. 498. — Tiber. W. VIII. 570. —

figuras elocutionis et vitia orationis examinavit, tropos, de quibus Donatus in arte sua egit, perscrutari. Atque primum quidem tractandum

πολυσύνδετον.

Don. G. L. K. IV. 399: „Polysyndeton est multis nexa coniunctionibus dictio, ut

Acamasque Thoasque
Pelidesque Neoptolemusque[1]) et cetera."

Polysyndeton semel in commento commemoratur.

Ad. 301.

Quod mihique eraeque filiaeque erili est.

Schol. 2.: „Mihique eraeque filiaeque erili est πολυσύνδετον secundum.[2])"

Ἀσύνδετον.

Don. l. a.: „Dialyton vel asyndeton est figura superiori contraria carens coniunctionibus, ut

ite
ferte citi flammas, date tela, impellite ramos.[3])"

Andr. 127.

Funus interim
Procedit. sequimur: ad sepulcrum venimus:
In ignem impositast: fletur.

Schol. 5. „Funus interim p. ἀσύνδετον."

Ad. 951.

Faciundumst: pro patre huic est, bonus est, noster est,
recte datur.

Schol. 1.: „Bonus est noster est recte datur ἐπιτροχασμός et ἀσύνδετον hortantis multa congerentis."

---

[1]) Verg. Aen. II. 262.

[2]) Codex M[4] praebet 'ἀσύνθετον', cod. V 'asyntheton', Stephanus 'πολυσύνδετον.' — Polysyndeton bene quadrat ad hunc locum, „sed valde, inquit Wessner praef. p. XVI, dolendum est quod nusquam indicavit [scil. Stephanus], unde textum correxerit, ut difficillimum sit ad diiudicandum, quid suo ipsius vel amici ingenio fretus quidve nisus vetusto exemplari novaverit." — De libris manuscriptis, quibus Donatus traditus est, egit Wessner. I. p. VII. sqq.

[3]) Verg. Aen. IV. 593.

Ad. 470.

Persuasit nox amor vinum adulescentia.

Schol. 3.: „Persuasit nox amor vinum adulescentia haec ἀσυνδέτως inferuntur, ut multa videantur."

Ad. 474.

Ignotumst, tacitumst, creditumst.

Schol. 1.: „Ignotum est tacitum est creditum est ἀσυνδέτως ut solet per συντομίαν."

Ph. 135.

Persuasumst homini: factumst: ventumst: vincimur.

Schol. 1.: „Factum est ventum est vincimur ἀσύνδετον, ut supra 'imus venimus videmus'."

Ad. 588.

Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur.

Schol. I.: „Odiose Aeschinus cessat prandium corrumpitur ἀσύνδετον: deest 'et'."

Ad. 266.

Ehem opportune: te ipsum quaerito[1]): quid fit Ctesipho?

Schol. 2.: „Opportune te ipsum quaerito ἀσύνδετον: — deest 'venisse' — non enim sequenti adnectitur."

Verba „deest 'venisse'" stultissima sunt, sed non totum scholion interpolatum haberi necesse est; satis est, haec verba delere, quae Wessner litteris inclinatis suspecta esse indicavit.

Exempla, quae attuli, Donati esse censeo. Huc trahendi porro sunt hi loci: Andr. 938; Eun. 507, 1055, 1057; Ad. 482; Ph. 102, 243, 946.

Sunt etiam ἀσύνδετα in commento, quae non ad Donatum redire videntur.

Ph. 103.

Imus venimus
Videmus: virgo pulchra.

Ad hunc versum duo scholia exstant: schol 1.: „Imus venimus videmus virgo pulchra ἀσύνδετα κατὰ βραχυλογίαν."

Schol. 2.: „Imus venimus v. v. p. ἀσύνδετον primum per βραχυλογίαν."

---

[1]) codd. B C D[2] E F G P praebent querito, D[1] cum A quaero.

Cum Donatus in arte grammatica non primum, alterum, tertium ἀσύνδετον discernat, illud scholion Donati, hoc, in quo 'ἀσύνδετον primum' commemoratur, interpolatum habeo.

Eadem de causa scholion 1 ad v. 107 Ph., in quo 'ἀσύνδετον tertium' adnotatur, adulterinum puto.

In adnotationibus ad Eun. 787, 969, Ad. 97, Ph. 36 spectantibus vox 'ἀσυνδέτως' non figuram significat, sed duo enuntiata sine coniunctionibus velut 'propterea, nam' composita esse exprimit.

Iam accedamus ad vitia, quorum complura Hahnius praeteriit. Qua re, priusquam desiderata subiungam, ut lectores rem facilius perspiciant, conspectum omnium vitiorum in extrema huius disputationis parte addidi (tab. A).

Primum nobis agendum est de

περισσολογίᾳ.

Don. G. L. K. IV. 395: „Perissologia est supervacua verborum adiectio sine ulla vi rerum, ut
ibant qua poterant, qua non poterant non ibant."

Ad. 959.

. . . ergo edepol hodie mea quidem sententia
Judico Syrum fieri esse aequom liberum.

Schol. 3 ad v. 959 bene docet: „Et sententia iudico περισσολογία est."

Μακρολογία.

Don. l. a.: „Macrologia est longa sententia res non necessarias comprehendens, ut 'legati non inpetrata pace retro, unde venerant, domum reversi sunt.'"

Ad. 68.

Mea sic est ratio et sic animum induco meum.

Schol. 3.: „Et sic animum induco meum senilis μακρολογία."

Ad. 240.

Potius quam venias in periclum, Sannio,
Servesne an perdas totum, dividuom face.

Schol. 1 ad v. 241: „Dividuum face hoc est divide: figura μακρολογία."

Quae adnotatio propterea suspecta videtur, quod μακρολογία appellata est 'figura', non 'vitium orationis'.

Ταυτολογία.

Don. l. a.: „Tautologia est eiusdem dictionis repetitio vitiosa, ut egomet ipse."

Hec. 626.

. . . Opportune te mihi,
Phidippe, in ipso tempore ostendis.

Schol. 2 ad v. 626: „Opportune te mihi Phidippe utrum ταυτολογία est an: 'opportune' quia volebam et 'in ipso tempore' quando volebam?"

Ph. 33.

Quem actoris virtus nobis restituit locum
Bonitasque vestra adiutans atque aequanimitas.

Ad v. 34 schol. 1: „Bonitasque vestra adiutans atque ae. 'bonitas' in omnibus generaliter rebus. 'aequanimitas' in spectando. 3. An ταυτολογία est?"

Scholion primum perbene verba 'bonitas' et 'aequanimitas' interpretatur eademque minime idem significare ostendit. Itaque verba „An ταυτολογία est?" quae modo quoque, quo cum antecedentibus cohaerent, commentatorem posteriorem produnt, interpolata habenda sunt.

Ἔλλειψις.

Don. l. a.: „Eclipsis est defectus quidam necessariae dictionis, quam desiderat praecisa sententia, ut 'haec secum'[1]): deest enim loquebatur."

Ut conspectus vitiorum orationis, quem addidi, docet, eclipsis in commentariis saepissime est adnotata neque id ita esse admiror. Terentius enim in comoediis sermone communi utitur, in quo, ut hodie quoque apud nos fieri solet, saepe ea, quae per se facile sunt subaudienda, omittuntur.

Andr. 191.

Hoc quid sit?

Schol.: „Hoc quid sit ἔλλειψις, deest enim 'quaeris'."

[1]) Verg. Aen. II. 19.

Andr. 285.

Accessi: vos semotae. nos soli: incipit.

Schol. 1.: „Accessi vos semotae nos soli figurae proprie Terentianae, ἀσύνδετον et ἔλλειψις."

Andr. 635.

Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?

Schol. 3.: „Cur meam tibi ἔλλειψις."

Andr. 868.

. . . O Chremes,
Pietatem gnati!

Schol. 1 ad v. 869: „Pietatem gnati ἔλλειψις, deest enim 'vides' aut quid tale."

Eun. 132.

Is ubi esse hanc forma videt honesta virginem
Et fidibus scire, pretium sperans ilico
Producit, vendit.

Schol. 1 ad v. 133: „Et fidibus scire vetusta ἔλλειψις."

Eun. 270.

. . . Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho.

Schol. 1 ad v. 271: „Summum ἔλλειψις."

Eun. 889.

Tamen, si pater . . .

Schol. 1.: „Tamen si pater ἔλλειψις."

Ad. 165.

Novi ego vestra haec: 'nollem factum.'

Schol. 1.: „Novi ego vestra haec ἔλλειψις, deest enim verba.'"

Ph. 36.

Heri ad me venit, erat ei de ratiuncula
Iam pridem apud me relicuom pauxillulum
Nummorum: id ut conficerem.

Schol. 1 ad v. 38.: „Id ut conficerem ἔλλειψις prima.[1])"

---

[1]) Cod. R praebet ελλιψις. I., V ἔκλιψις (m. 2) prima, C Omellipsis I. — Primo „ἔλλιψις" in libris exstitisse, deinde adiectum esse ab interpolatore quodam „I", unde „prima" irrepsisse in alios codices existimo.

Sed longum est omnia scholia ad hoc pertinentia conscribere. Similia sunt haec: Andr. 55, 120, 128, 361, 468; Eun. 65, 143, 171, 202, 279, 477, 479, 1049, 1056; Ad. 158, 198, 232, 264, 270, 277, 299, 330, 539, 582, 758, 981; Hec. 165, 270, 278; Ph. 77, 142, 144, 194, 255, 351, 440, 478, 964.

Quae exempla allata, cum definitionem Donatianam sequantur, ad Donatum redire censeo. At nunc reliqua consideremus.

Andr. 607.

. . . atque hoc confiteor iure
Mihi optigisse, quandoquidem tam iners,
tam nulli consili sum:
Servon fortunas meas me commisisse futtili!

Schol. 3 ad v. 609: „Et est figura ἔλλειψις, ut apud Vergilium (Aen. XI. 269.) 'invidisse deos, patriis ut r. a.'"

In versu Terentiano nullum verbum desideramus neque quiquam subaudiendum est. Ἔλλειψις igitur falso adnotata est. Huc accedit, quod ἔλλειψις vocata est 'figura', non 'vitium orationis'. Ceteros quoque locos, ubi ἔλλειψις 'figura' nobis occurrit, subditos puto: Andr. 232, 300, 609; Eun. 477.

Andr. 495.

. . . Edixin tibi,
Interminatus sum, ne faceres: num veritu's?

Schol. 3 ad v. 496: „Et deest 'es': apta ἔλλειψις irascenti."

Persaepe a comicis Latinis verba 'es, est' vocali 'e' eiecta cum verbo antecedenti in unum quasi verbum contracta sunt ita, ut ἔλλειψις omnino non sentiretur. Quam ob rem hoc scholion interpolatum esse cum Wessnero censeam.

Eun. 395.

. . . Est istuc datum
Profecto, ut grata mihi sint quae facio omnia.

Schol. 2 ad v. 396: „Quae facio omnia ἔλλειψις vel σύλληψις."

Cum non timendum sit, ne Donatus ἔλλειψιν a συλλήψει non internoverit, dubitari non potest, quin hoc scholion subditum sit.

Ταπείνωσις.

Don. l. a.: „Tapinosis est humilitas rei magnae non id agente sententia, ut

penitusque cavernas
ingentes uterumque armato milite complent[1])

et 'Dulichias vexasse rates'[2]) et 'Pelidae stomachum cedere nescii.'[3])"

Unum huius vitii bonum exemplum praebent commenta.

Eun. 274.

. . . sed quid videtur
Hoc tibi mancupium?

Schol. 1 ad v. 274: „Hoc tibi mancipium ταπείνωσις τῷ ἀστεϊσμῷ 'manicipium' dicit puellam aut virginem."

II.

Iam venimus ad tropos „Tropus, inquit Donatus G. L. K. IV. p. 399, est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem ornatus necessitatisve causa. sunt autem tropi tredecim, metaphora catachresis metalepsis metonymia antonomasia epitheton synecdoche onomatopoeia periphrasis hyperbaton hyperbole allegoria homoeosis."

Qui tropi quomodo per Donati in Terentium commentum distributi sint, conspectus, quem infra (tab. B) composui, ostendit.

Sed iam ad explicationem transeamus secundum ordinem Donati.

Μεταφορά.

Don. G. L. K. IV. 399: „Metaphora est rerum verborumque translatio. haec fit modis quattuor, ab animali ad animale, ab inanimali ad inanimale, ab animali ad

1) Verg. Aen. II. 19.
2) id. Bucol. IV. 76.
3) Hor. carm. I. 6. 6.

inanimale, ab inanimali ad animale: ab animali ad animale, ut

Tiphyn aurigam celeris fecere carinae;[1])

nam et auriga et gubernator animam habent: ab inanimali ad inanimale, ut 'ut pelagus tenuere rates':[2]) nam et naves et rates animam non habent: ab animali ad inanimale, ut

Atlantis cinctum assidue cui nubibus atris
piniferum caput;[3])

nam ut haec animalis sunt, ita mons animam non habet, cui membra hominis ascribuntur: ab inanimali ad animale, ut 'si tantum pectore robur Concipis'[4]); nam ut robur animam non habet, sic utique Turnus, cui haec dicuntur, animam habet. scire autem debemus esse metaphoras alias reciprocas, alias partis unius."

Videamus nunc, quales sint metaphorae Terentianae, atque eas in quattuor illas species, quamquam id in commentariis non factum est, dividere mihi lubet.

a. ab animali ad animale.

Andr. 191 sqq.

Si „ . . . omnes, qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt."
Da. „Ita aiunt." Si. „Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum,
Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem plerumque adplicat."

Schol. 2. ad v. 192: „Tum si quis magistrum μεταφορικῶς."

Recte μεταφορά adhibita est, nam magister vocatur hic is, qui det alicui consilia de rebus amatoriis.

Ad. 220.

Nunquam rem facies: abi, inescare nescis
homines, Sannio.

1) Varronis Atacini versum esse coniecit Keil in Charis. G. L. K. I. 272.
2) Verg. Aen. V. 8.
3) ibid. IV. 248.
4) ibid. XI. 368.

Schol 4. bene admonet: „Nescis inescare homines Sannio *μεταφορά* ab aucupibus, qui avibus capiendis offundunt cibum.“

Hec. 648.

Etiam si dudum fuerat ambiguom hoc mihi,
Nunc non est, cum eam sequitur alienus puer.

Schol. 2. ad v. 649: „Cum eam consequitur alienus puer *μεταφορά* a pecoribus, quae mox ut nata fuerint matres sequuntur.“

Ph. 229.

Nunc prior adito tu, ego insidiis hic ero
Subcenturiatus, siquid deficias.

Schol. 2 ad v. 229: „Ego in insidiis hic ero tota *μεταφορά* de re militari est.“

b. ab inanimali ad inanimale.

Eun. 354.

Duras fratris partis praedicas.

Schol. 3.: „Et 'partes duras' *μεταφορικῶς* ab actoribus scaenicis.“

Ad. 833.

Ad omnia alia aetate sapimus rectius:
Solum unum hoc vitium adfert senectus hominibus:
Adtentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat aetas acuet.

Schol. 1. ad v. 835: „Quod illos sat aetas acuet *μεταφορικῶς* 'acuet.'“

Id, quod cos efficit, id est 'acuere', translatum est in senectutem.

Andr. 480.

Nunc huius periclo fit, ego in portu navigo.

Schol.: „Ego in p. na. haec ex translatione maris sunt dicta *μεταφορικῶς*.“

Andr. 206.

Enim vero, Dave, nihil locist segnitiae neque socordiae,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptiis:
Quae si non astu providentur, me aut erum pessum dabunt.

Schol 4. ad v. 208: „Et nuptias veluti undam navigio imminentem fecit, quod si quis non undam, scilicet ex adverso venientem, prora exceperit, demersus undis in pessum abit. est ergo *μεταφορά*.“

Eun. 51.

Verum si incipies neque pertendes naviter
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace ultro ad eam venies, . . .

Schol. 1. ad v. 53: „Infecta pace *ἔμφασις* per *μεταφορ άν*.“

Eun. 245.

. . . tota erras via.

Schol. 2.: „Tota erras via *παρόμοιον* per *μεταφοράν*.“

Eun. 1023.

Pa. „Nullus sum.“ Py. „Hic pro illo munere
tibi honos est habitus: abeo.“

Schol. 2.: „Hic pro illo munere t. h. e. a. *εἰρωνικῶς* et *μεταφορικῶς*: pro munere et honos munerigerulis praeberi solet.“

Ad. 228.

Sy. „Inieci scrupulum homini.“ Sa. „Oscelera: illud vide,
„Ut in ipso articulo oppressit.“

Schol. 1. ad v. 229: „Ut in ipso articulo oppressit *μεταφορά* perseverans a scrupulo, id est lapillo, qui nos in calceo latens plerumque laedit.“

Ad. 859.

. . . nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope iam excurso spatio omitto.

Schol. 1. ad v. 860: „Prope iam decurso spatio id est: ad calcem et prope ipsos decursus metasque vivendi. et est metaphora a cursoribus.“

c. tertii generis, ab animali ad inanimale,
exemplum deest.

d. ab inanimali ad animale.

Eun. 103.

Quae vera audivi, taceo et contineo optume.

Schol. 3.: „Contineo optime proprie a metaphora vasis transtulit verba.“

Eun. 236.

Video sentum squalidum aegrum, pannis annisque obsitum.

Schol. 8.: „Obsitum ut 'sentum', 'obsitum' dixit: μεταφορά ab agro."

Ad. 239.

Labascit . . . .

Schol. 2.: „Et proprie dixit 'labascit', ut et suam instantiam et cunctationem tarde incipientis consentire monstraret. nam inchoativum verbum est, μεταφορᾷ ab arbore significans facta, quae multis succisa ictibus ferri tandem incipit in casum pendere ruinamque minare."

Κατάχρησις.

Quam Donatus, G. L. K. IV. 400, ita definit: „Catachresis est usurpatio nominis alieni, ut parricidam dicimus qui occiderit fratrem, et piscinam quae pisces non habet. haec enim nisi extrinsecus sumerent, suum vocabulum non haberent."

Bene huc quadrat, quod scriptum videmus ad v. 816 Eunuchi in schol. 3: „Frui autem est vesci, a frumine, quae est summa pars gulae. quare etiam his, quae cibo poculoque non sunt, frui dicitur καταχρηστικῶς, ut rebus veneriis et delectatione odoris, visus, auditus."

Μετάληψις.

Don. G. L. K. IV. 400: „Metalepsis est dictio gradatim pergens ad id quod ostendit, ut 'speluncis abdidit atris'[1]) et 'post aliquot mea regna videns mirabor aristas.'[2])"

Qua cum definitione si locos, qui sequuntur, ad quos μετάληψις annotata est, comparaverimus, eos valde diversos esse inveniemus. An putatis, quod ad v. 502 Andr.:

„Quasi tu dicas, factum id consilio meo"

scriptum est in schol. 2: „Figura μετάλημψις a posterioribus ad priora" cum illa congruere? Wessnerus quoque haec verba litteris inclinatis suspecta esse indicavit. Quam interpretationem subditam neque Donati esse ex ea quoque re

[1]) Verg. Aen. I. 60.
[2]) id. Bucol. I. 70.

elucet, quod μετάλημψις 'figura' vocatur, non 'tropus' ex disciplina Donati.

Imperitum commentatorem in tropis adscribendis versatum esse annotationibus ad versus 533 et 674 Andriae factis probatur.

Andr. 533.

Si: „Iubeo Chremetem . . ." Ch. „O te ipsum quaerebam."

Schol. 4.: „Et μεταλημπτικῶς, quia qui dicit 'salve', iubet: volumus enim animo, iubemus verbis."

Andr. 675.

Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo.

Schol. ad v. 674: „Hoc tibi pro s. d. μεταλημπτικῶς servitium pro servitute posuit, ut (Verg. Aen. III. 327) 'servitio enixae tulimus'."

Eun. 809.

. . . hic furti se alligat.

Schol. 3.: „Ergo 'furti se alligat' reum se efficit fraudis, nam μεταλημπτικῶς furtum pro omni dolo et fraude accipimus et iniuria. 'alligat' autem obstringit et inlaqueat et obnoxium facit."

Hic μετάληψις est confusa cum καταχρήσει.

Μετωνυμία.

Don. G. L. K. IV. 400: Metonymia est dictio quaedam veluti transnominatio. huius multae sunt species. aut enim per id quod continet id quod continetur ostendit, ut 'nunc pateras libate Jovi'[1]); aut contra, ut 'vina coronant'[2]); aut per inventorem id quod inventum est ostendit ut

sine Cerere et Libero friget Venus[3]); aut contra, ut
vinum precamur, nam hic deus praesens adest[4])

haec exempli causa diligentibus posita etiam reliqua demonstrabunt."

[1]) Verg. Aen. VII. 133.
[2]) eod. l. VII. 147.
[3]) Ter. Eun. 732.
[4]) Plauto tribuit Servius in Verg. Aen. I. 724.

Ad locum ex Terentio sumptum, Eun. 732, legimus in schol. 4: „Et vide tres μετωνυμίας: Cererem, Liberum, Venerem."

Quam interpretationem Donatum redolere patere mihi videtur.

Ἀντονομασία.

Don. G. L. K. IV. 400: „Antonomasia est significatio vice nominis posita, quae fit modis tribus, ab animo, a corpore, extrinsecus: ab animo, ut 'magnanimusque Anchisiades'[1]; a corpore, ut 'ipse arduus altaque pulsat Sidera'[2]; extrinsecus, ut

infelix puer atque impar congressus Achilli.[3]"

Huius tropi exempla desunt.

Επίθετον.

Don. G. L. K. IV. 400: „Epitheton est praeposita dictio proprio nomini. nam antonomasia vicem nominis sustinet, epitheton numquam est sine nomine, ut 'dira Celaeno'[4] et 'dia Camilla'[5]. fit etiam epitheton modis tribus, ab animo, a corpore, extrinsecus. his duobus tropis vel vituperamus aliquem vel ostendimus vel ornamus."

Qua cum definitione congruunt illi loci, quibus 'ἐπίθετον' est attributum.

Eun. 324.

Neque quemquam ego esse hominem
arbitror, cui magis bonae
Felicitates[6] omnes adversae sient.

Schol. 3 ad v. 325: „Et quod addidit 'bonae', vel magnae et nimiae intelleguntur vel ἐπίθετον proprium et perpetuum felicitatum est 'bonae'."

[1] Verg. Aen. V. 407.
[2] eod. l. III. 619.
[3] eod. l. I. 475.
[4] eod. l. III. 211.
[5] eod. l. XI. 657.
[6] Felicitas et Dolus personae intellegi possunt, id quod Donati definitio postulat. Cf. Roscher „Ausführliches Lexicon der griech. u. röm. Mythologie." s. v. Felicitas (Steuding.) et s. v. Dolus (Stoll.).

Eun. 514.

. . . iam tum erat suspicio
Dolo malo haec fieri omnia.

Schol. 1 ad v. 515: „Dolo malo haec fieri omnia dolus a dolando dictus, id est a laedendo et imminuendo. nam et δόλος dicitur Graece laesio et dolones tela quaedam bellica et dolare fabri lignum, id est ascia caedere. quod autem addidit 'malo', aut ἀρχαϊσμός est, quia sic in duodecim tabulis a veteribus scriptum est aut ἐπίθετον doli est perpetuum, aut διαστολή est, quia est et bonus, quo a medentibus falli aegros, non tamen decipi Lucretius poeta testatur (IV. 11 sqq)."

Συνεκδοχή.

Don. G. L. K. IV. 400: „Synecdoche est significatio pleni intellectus capax, cum plus minusve pronuntiat. aut enim a parte totum ostendit, ut puppesque tuae pubesque tuorum'[1]; aut contra, ut 'ingens a vertice pontus in puppim ferit'[2] et 'fontemque ignemque ferebant'.[3] meminisse autem debemus, cum fit a parte totum, ab insigni parte faciendum."

Andr. 371.

. . . Ridiculum caput.

Schol. 2.: „Ridiculum caput 'caput' pro toto homine. nemo enim ore contempto ex aliis membris hominem velit significare. et est συνεκδοχὴ τρόπος."

Verba 'nemo' usque 'significare' quae Wessnero quoque suspecta visa sunt, ad interpolatorem quendam redire videntur, cum conexum deleant.

Ad. 261.

. . . illius opera, Syre, nunc vivo: festivom caput . . .

Schol. 2.: „Sed male; nam 'caput' Aeschini dicit, hoc est ipsum Aeschinum, ut in toto pars sit per συνεκδοχήν, in qua figura ea pars pro toto ponenda est, quae aut eminet ex toto aut maioris pretii est ad id quod agitur."

[1] Verg. Aen. I. 399.
[2] eod. l. I. 114.
[3] eod. l. XII. 119.

Quibus verbis συνεκδοχή recte est definita; quod autem συνεκδοχή 'figura' vocatur, non 'tropus', ego quidem hanc annotationem subditam esse contendam.

Ὀνοματοποιία.

Don. G. L. K. IV. 400: „Onomatopoeia est nomen de sono factum, ut tinnitus aeris, clangor tubarum."

Hec. 517.

. . . nam audivisse vocem pueri visus est vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.

Schol. 1 ad v. 517: „. . . et est ὀνοματοποιία, nam vox ipsa sic est, ut quasi 'vagitus' saepius sonet."

Hoc bene ad definitionem quadrat.

Περίφρασις.

Don. G. L. K. IV. 400 sq: „Periphrasis est circumlocutio, quae fit aut ornandae rei causa, quae pulchra est aut vitandae, quae turpis est, ut

et iam prima novo spargebat lumine terras [1])

et cetera et 'nimio ne luxu obtunsior usus sit genitali arvo' [2]) et cetera."

Hec. 31.

Eam calamitatem vestra intellegentia
Sedabit, si erit adiutrix nostrae industriae.

Schol. 2 ad v. 32: „Et bene περιφράσει usus est, ne diceret 'vos . . nobis'."

Hec. 33.

Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria, . . .

Schol. 2.: „Pugilum gloria περίφρασις ἀντὶ τοῦ 'pugiles'. . ."

Andr. 202.

Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circum
itione usus es.

Schol. 3.: „Circuitione τῇ περιφράσει."

In hac annotatione 'τῇ περιφράσει' non tropus significatus, sed 'circumitione' versum est.

---

1) Verg. Aen. IV. 584.
2) id. georg. III. 135.

Ὑπέρβατον.

Don. G. L. K. IV. 401: „Hyperbaton est transcensio quaedam verborum ordinem turbans, cuius species sunt quinque hysterologia anastrophe parenthesis tmesis synchysis."

Quibus ex quinque ὑπερβάτου generibus desiderantur in commentis ὑστερολογία [1]) et σύγχυσις. [2]) Ordiamur igitur ab ὑπερβάτῳ ipso.

Eun. 785.

Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic,
nebulo magnus est: Ne metuas.

Schol. 1 ad v. 785: „Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic figurata locutio et praeterea ὑπερβάτῳ intermixta, nam hic ordo est: sane hic nebulo est: ne metuas.

Ἀναστροφή.

Don. G. L. K. IV. 401: „anastrophe est verborum tantum ordo praeposterus, ut 'Italiam contra' [3]) pro contra Italiam."

Andr. 211.

. . . primum iam de amore hoc comperit . .

Schol. 4.: „Primum iam 'primum iam' ὑφέν: est enim ἀναστροφή pro iamprimum."

Eun. 139.

Ait, si fidem habeat se iri praepositum tibi . . .

Schol. 5.: „Se iri praepositum tibi apud me ἀναστροφή in verbo 'praepositum iri.'"

---

1) Don. G. L. K. IV. 401: „hysterologia vel hysteroproteron est sententiae cum verbis ordo mutatus, ut (Verg. Aen. I. 179)
torrere parant flammis et frangere saxo."

2) Don. G. L. K. IV. 401: „synchysis est hyperbaton ex omni parte confusum, ut (Verg. Aen. I. 108)
tris notus abreptas in saxa latentia torquet,
saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus aras:"
est enim ordo hic, tris abreptas notus in saxa torquet, quae saxa in mediis fluctibus latentia Itali aras vocant."

3) Verg. Aen. I. 3.

Ph. 200.

Nam quod ego huic nunc subito exitio
remedium inveniam miser?

Schol. 1.: „Nam quod ego huic nunc subito 'nam' aut subiunctiva coniunctio est superiori dicto quod ait 'quid agam' aut ἀναστροφή est 'nam quod' pro 'quodnam'."

Exempla allata, cum non recedant a definitione, Donato vindicem; annotationes autem ad Andr. v. 171 (schol. 2) et Phorm. v. 732 (schol. 1) spectantes, in quibus ἀναστροφή vocetur 'figura', interpolatas habeo.

Quoniam quid significet ἀναστροφή vidimus, scholion 3 ad v. 393 Hec. pertinens a Wessnero recte restitutum esse puto, ut legamus: „Post duobus concubuisse eam mensibus 'post duobus' simpliciter accipiendum, non 'post duos': est enim ἀναστροφή, non ἀντίπτωσις."

Παρένθεσις.

Don. G. L. K. IV. 401: „parenthesis est interposita ratiocinatio divisae sententiae, ut

Aeneas, neque enim patrius consistere mentem
passus amor, rapidum ad naves praemittit Achaten." [1])

Andr. 567.

Nempe incommoditas denique huc omnis redit,
Si eveniat, quod di prohibeant, discessio.

Schol. ad v. 568: „Si eveniat quod di prohibeant παρένθεσις per εὐφημισμόν."

Hec. 381.

Hanc habere orationem mecum principio institit:
'O mi Pamphile . . . .'
Sed cum orata huius reminiscor, nequeo quin
lacrimem miser.

Schol. 3 ad v. 385: „Sed cum orata eius bona παρένθεσις."

A definitione Donatiana abhorret paululum hoc exemplum:

Eun. 780.

Thr. „Ubi alii?" Gn. „Qui malum 'alii'?
solus Sannio servat domi."

[1]) Verg. Aen. I. 643.

Schol. 5. „Qui malum alii 'malum' κατὰ παρένθεσιν suaviter infertur . . ."

Hic enuntiatum uno verbo interrumpitur, non, ut antea vidimus, ratiocinatione divisae sententiae. Quod utrum definitio illa concedat necne difficile est diiudicare neque audeo pro certo affirmare hoc scholion esse interpolatum.

Ad. 149.

Quam hic non amavit meretricem: aut cui non dedit
Aliquid? postremo nuper (credo iam omnium
Taedebat) dixit velle uxorem ducere.

Schol. ad v. 150: „Credo iam omnium taedebat παρένθεσις πρώτη[1]): etenim addimus ad ea, quae apud nos parum certa sunt, aut 'credo' aut 'puto'."

Hec. 60.

Vel hic Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi,
Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Numquam illa viva ducturum uxorem domum!

Schol. ad v. 62: „Numquam illa viva ducturum uxorem παρένθεσις prima: iurabat numquam illa viva uxorem ducturum."

Hic non habemus παρένθεσιν definitioni Donati respondentem. Sed non neglegendum est nisi per Lindenbrogium haec verba non esse tradita, quem ea ex codice Cuiacii hausisse opinatur Wessnerus in apparatu critico. Quem codicem Cuiacii cum non iam habeamus, difficile est dictu, utrum re vera in eo haec annotatio exstiterit an sit fortasse coniectura Lindenbrogii.

Ph. 124.

. . . Hoc consilium quod dicam dedit:
Lex est ut orbae, qui sint genere proximi,
Eis nubant, et illos ducere eadem haec lex iubet.

Schol. 2 ad v. 125: „Lex est alia causa narrationi interponitur, et dicitur παρένθεσις."

[1]) „πρώτη" non in codicibus exstat, sed correctura Lindenbrogii est.

Hoc scholion, in quo παρένθεσις sit aliter intellecta ac supra, Donati esse negem. Si quis dubitet totum scholion Donato abiudicare, at certe ultimam partem „et dicitur παρένθεσις" non genuinam esse concedet. Neque fieri potest quin annotationes ad versus Eun. 384 (schol. 1), Ph. 337 (schol. 2), 372 (schol. 1) spectantes, quippe quae minime cum definitione Donati congruant, a commentatoribus posterioribus ascriptas esse dicamus.

Τμῆσις.

Don. G. L. K. IV. 401: „tmesis est unius compositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interiectis, ut 'septem subiecta trioni'[1]) pro septemtrioni et 'saxo cere comminuit brum'[2]) et

Massili portabant iuvenes ad litora tanas',[3])

hoc est cerebrum et Massilitanas.

Hec. 630.

Ne revereatur, minus iam quo redeat domum.

Schol. 2 ad v. 630: „Minus iam quo redeat τμῆσις cum ἀναστροφῇ, ut sit ordo: quo minus redeat."

Andr. 63.

Cum quibus erat cumque una . . .

Schol. 1.: „Cum quibus erat c. q. u. figura τμῆσις."

Quae annotatio suspecta est, quod τμῆσις 'figura' vocatur.

Idem dicendum est de τμήσεσι ad versus 721 Eun. (schol. 2.) et 382 Adelph. (schol. 2.) falso annotatis, quae ad Stephanum redeunt, ut docet apparatus criticus.

Ὑπερβολή.

Don. G. L. K. IV. 401: „Hyperbole est dictio fidem excedens augendi minuendive causa: augendi, ut nive candidior, minuendi, ut tardior testudine."

---

1) Verg. georg. III. 381.

2) Ennius. Annal. 609. ed. Vahlen. 1903.

3) Ennii annalibus versum adscripsit Columna Enn. fragm. p. 149 ed. Hess., contra quem dixit Kochius exercit. crit. in priscos poetas Rom. (Bonnae a. 1851) p. 2: Lucilii esse coniecit Bergkius annal. philol. nov. t. 82 (a. 1861) p. 637.

Andr. 675.

Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo,
Conari manibus pedibus noctesque et dies,
Capitis periclum adire, dum prosim tibi.

Schol. 3 ad v. 676: „Manibus et pedibus ὑπερβολικῶς."

Eun. 310.

Cum in cellulam ad te patris penum omnem
congerebam clanculum.

Schol. 2.: Patris penum omnem ipsum penum, non ex eo aliqnid: ὑπερβολικῶς."

Hec. 438.

Pam. Quid cessas? Par. Quid vis dicam?
an conveniam modo?
Pam. Immo quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse, ne me frustra illi expectet vola.

Schol. 1 ad v. 438: „Vola ἠθικῇ ὑπερβολῇ usus est: curras, ut volare magis quam currere videaris."

Ph. 534.

Quid faciam? unde ego nunc tam subito
huic argentum inveniam miser,
Cui minus nihilost . . .?

Schol. ad v. 535: „Minus n. ὑπερβολή."

Adel. 149.

Quam hic non amavit meretricem aut cui non
dedit aliquid?

Schol. 1.: „Quam hic non amavit meretricem aut cui non dedit ἦθος ὑπερβολῆς 'quam non' et 'cui non' . . ."

Ph. 67.

. . . is senem per epistulas
Pellexit, modo non montis auri pollicens.

Schol. 2 ad v. 68: „Modo non montes auri p. proverbialis ὑπερβολή facta per exceptionem aut per superlationem aut aequam collationem . . ."

Conferas porro Andr. 92, „magnum exemplum continentiae"; Eun. 55 (schol. 1) „peristi"; Eun. 231 (schol. 4) „haec superat ipsam Thaïdem"; Eun. 285 (schol. 3) „Ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra"; Eun. 422 (schol. 1) „Plus miliens audivi";

Ad. 234 „ut sit satius perdere . . ."; Ad. 299 (schol. 4) „. . . si omnia omnes sua sonsilia conferant"; Ad. 394 (schol. 4) „Nihil nisi sapientia es"; Ad. 761 (schol. 1) „Ipsa si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam."

Ἀλληγορία.

Don. G. L. K. IV. 401.: „Allegoria est tropus, quo aliud significatur quam dicitur, ut

et iam tempus equum fumantia solvere colla,[1])

hoc est 'carmen finire.' huius species multae sunt, ex quibus eminent septem, ironia antiphrasis aenigma charientismos paroemia sarcasmos astismos."

Quibus ex tropis in commentariis inveniuntur: allegoria, antiphrasis, paroemia, astismos; desiderantur: aenigma, charientismos, sarcasmos.

Ad. 958.

Suo sibi gladio hunc iugulo.

Schol. 1.: „Suo sibi gladio hunc iugulo ἀλληγορία."

Eun. 426.

Lepus tute es: pulpamentum quaeris?

Schol. 2.: „Lepus tute es et pulpamentum quaeris quod in te habes, hoc quaeris in altero. et est τρόπος ἀλληγορία."

Εἰρωνεία.

Don. G. L. K. IV. 401: „ironia est tropus per contrarium quod conatur ostendens, ut

egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
tuque puerque tuus[2])

et cetera. hanc nisi gravitas pronuntiationis adiuverit, confiteri videbitur quod negare contendit."

Percurramus exempla, quae praebent commentarii.

Andr. 436.

Praeter spem evenit: sentio: hoc male habet virum.

Schol. 2.: „Hoc male habet v. εἰρωνικῶς 'virum' dixit defessum senem. modo enim ioculariter dixit

[1]) Verg. georg. II. 542.
[2]) Verg. Aen. IV. 93.

'virum'. 'vir' enim modo ad vituperationem cum ironia, modo ad laudem sumitur sine ironia."

Eun. 160.

Nisi si illum plus amas quam me et istam nunc times,
Quae advectast, ne illum talem praeripiat tibi.

Schol. ad v. 161: „Talem praeripiat tibi εἰρωνεία stomachantis amatoris."

Andr. 204.

Bona verba quaeso.

Schol. 1.: „Bona verba quaeso hic εἰρωνεία est."

Eun. 223.

Ph. „Tandem non ego illam caream, si sit opus, vel totum triduom?" Pa. „Hui,
Univorsum triduom?"

Schol. 1 ad v. 224: „Universum triduum εἰρωνικῶς 'universum', quasi 'triduum' in multo numero sit."

Eun. 288.

Facete dictum . . .

Schol. 1.: „Facete dictum εἰρωνικῶς, quia infacete."

Eun. 317.

Itaque ergo amantur.

Schol. 1.: „Itaque ergo amantur 'itaque' inquit 'nemo illas amat': εἰρωνεία."

Eun. 455.

Thr. „O Thais mea,
Meum savium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina istac?" Pa.: „Quam venuste: quod dedit
Principium adveniens!"

Schol. 3 ad v. 457: „Quam venuste quod dedit principium bene reprehendit Parmeno, nam in beneficiis decet oblivisci qui dedit et meminisse qui accepit. et est gravis εἰρωνεία 'quam venuste'."

Ad. 474.

. . . virgo ex eo
Compressu gravida facta est, mensis decimus est:
Ille bonus vir.

Schol. 1 ad v. 476: „Ille bonus vir εἰρωνεία indignantis in loco addita est verbis ardentibus."

Ph. 259.

. . . Artificem probum!

Schol. 2.: „Artificem probum εἰρωνεία, nam non est artifex, cuius deprehenditur fucus.“

Aliis locis multa εἰρωνείας exempla facile invenias; sed ex toto numero haec pauca attulisse satis habeo. Omnia illa exempla bene consentiunt cum definitione Donatiana. Pro iis verbis, quae εἰρωνικῶς dicta sunt, prorsus contraria sunt intellegenda.

Ἀντίφρασις.

Don. G. L. K. IV. 402: „antiphrasis est unius verbi ironia, ut bellum lucus et Parcae. bellum, hoc est minime bellum, et lucus eo quod non luceat, et Parcae, quod nulli parcant.“

Perbene quadrat ad hanc definitionem, quod scriptum videmus ad

Andr. 128.

. . . sequimur: ad sepulcrum venimus.

Schol. 1.: „Ad sepulchrum venimus 'sepulchrum' κατ' ἀντίφρασιν dicimus, quod sine pulchra re sit.“

Conferas adnotationem ad v. 26 Ad. spectantem.

Ph. 134.

Iocularem audaciam.

Schol. 2.: „Iocularem audaciam εἰρωνεία κατὰ ἀντίφρασιν, hoc est minime iocularem.“

Andr. 782.

Iocularium in malum insciens paene incidi.

Schol.: „Iocularium in malum e contrario': pro gravi et molesto ac nimio iocosum, ergo κατὰ ἀντίφρασιν.“

Quae duo scholia, Ph. 134 et Andr. 782, quippe in quibus ἀντίφρασις aliter atque in definitione praemissa accepta sit, ad interpolatorem redire apertum est.

Παροιμία.

Don. G. L. K. IV. 402: „paroemia est accommodatum rebus temporibusque proverbium, ut 'adversum stimulum calces' et 'lupus in fabula'.“

Andr. 555.

Amantium irae amoris integratiost.

Schol. 2.: „Παροιμία est autem sine auctore sententia.“

Eun. 381.

At enim istaec in me cudetur faba.

Schol. 1.: „At enim istaec in me cudetur faba παροιμία, id est: in me hoc malum recidet, in me haec vindicabitur culpa, ut laborat solum, in quo cuditur, id est batuitur faba.“

Ph. 77.

Venere in mentem mihi istaec: namque inscitiast,
Advorsum stimulum calces.

Schol. 1 ad v. 78: „Adversum stimulum calces παροιμία cum ἐλλείψει: deest enim 'iactare'.“

Ph. 318.

Tute hoc intristi: tibi omnest exedendum: accingere.

Schol. 1.: „Tute hoc intristi παροιμία apta parasito, quia de cibo est. hoc autem inter rusticos de aleato mortario dici solet.“

Ph. 203.

fortis fortuna adiuvat.

Schol. 2.: „Fortis fortuna adiuvat παροιμία.“

Ἀστεϊσμός.

Don. G. L. K. IV. 402: „astismos est tropus multiplex numerosaeque virtutis. namque astismos putatur quidquid simplicitate rustica caret et faceta satis urbanitate expolitum est, ut est illud

qui Bavium non odit amet tua carmina, Maevi,
atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos [1])“

Bis hic tropus in commentis exstat.

Ph. 151.

Da. „Num quid, Geta, aliud me vis?“
Ge. „Ut bene sit tibi.“

Schol. 2 ad v. 151: „Ut bene sit tibi ἀστεϊσμός pro nihil'.“

Quo loco fundamento usus haud scio an Bentleius suo iure in adnotatione ad v. 342 Eun. spectanti „τῷ ἀστεϊσμῷ“ correxerit ex 'τῶ αστιΐκισμω', quod praebet codex V.

---

[1]) Verg. Bucol. III. 90.

Ph. 259.

. . . Artificem probum!

Schol. 2.: „Artificem probum εἰρωνεία, nam non est artifex, cuius deprehenditur fucus.“

Aliis locis multa εἰρωνείας exempla facile invenias; sed ex toto numero haec pauca attulisse satis habeo. Omnia illa exempla bene consentiunt cum definitione Donatiana. Pro iis verbis, quae εἰρωνικῶς dicta sunt, prorsus contraria sunt intellegenda.

Ἀντίφρασις.

Don. G. L. K. IV. 402: „antiphrasis est unius verbi ironia, ut bellum lucus et Parcae. bellum, hoc est minime bellum, et lucus eo quod non luceat, et Parcae, quod nulli parcant.“

Perbene quadrat ad hanc definitionem, quod scriptum videmus ad

Andr. 128.

. . . sequimur: ad sepulcrum venimus.

Schol. 1.: „Ad sepulchrum venimus 'sepulchrum' κατ' ἀντίφρασιν dicimus, quod sine pulchra re sit.“

Conferas adnotationem ad v. 26 Ad. spectantem.

Ph. 134.

Iocularem audaciam.

Schol. 2.: „Iocularem audaciam εἰρωνεία κατὰ ἀντίφρασιν, hoc est minime iocularem.“

Andr. 782.

Iocularium in malum insciens paene incidi.

Schol.: „Iocularium in malum e contrario': pro gravi et molesto ac nimio iocosum, ergo κατὰ ἀντίφρασιν.“

Quae duo scholia, Ph. 134 et Andr. 782, quippe in quibus ἀντίφρασις aliter atque in definitione praemissa accepta sit, ad interpolatorem redire apertum est.

Παροιμία.

Don. G. L. K. IV. 402: „paroemia est accommodatum rebus temporibusque proverbium, ut 'adversum stimulum calces' et 'lupus in fabula'.“

Andr. 555.

Amantium irae amoris integratiost.

Schol. 2.: „Παροιμία est autem sine auctore sententia.“

Eun. 381.

At enim istaec in me cudetur faba.

Schol. 1.: „At enim istaec in me cudetur faba παροιμία, id est: in me hoc malum recidet, in me haec vindicabitur culpa, ut laborat solum, in quo cuditur, id est batuitur faba.“

Ph. 77.

Venere in mentem mihi istaec: namque inscitiast,
Advorsum stimulum calces.

Schol. 1 ad v. 78: „Adversum stimulum calces παροιμία cum ἐλλείψει: deest enim 'iactare'.“

Ph. 318.

Tute hoc intristi: tibi omnest exedendum: accingere.

Schol. 1.: „Tute hoc intristi παροιμία apta parasito, quia de cibo est. hoc autem inter rusticos de aleato mortario dici solet.“

Ph. 203.

fortis fortuna adiuvat.

Schol. 2.: „Fortis fortuna adiuvat παροιμία.“

Ἀστεϊσμός.

Don. G. L. K. IV. 402: „astismos est tropus multiplex numerosaeque virtutis. namque astismos putatur quidquid simplicitate rustica caret et faceta satis urbanitate expolitum est, ut est illud

qui Bavium non odit amet tua carmina, Maevi,
atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos[1])“

Bis hic tropus in commentis exstat.

Ph. 151.

Da. „Num quid, Geta, aliud me vis?“
Ge. „Ut bene sit tibi.“

Schol. 2 ad v. 151: „Ut bene sit tibi ἀστεϊσμός pro nihil'.“

Quo loco fundamento usus haud scio an Bentleius suo iure in adnotatione ad v. 342 Eun. spectanti „τῷ ἀστεϊσμῷ“ correxerit ex 'τῶ αστττϊκισμω', quod praebet codex V.

[1]) Verg. Bucol. III. 90.

Eun. 341.
Dum haec dicit, abiit hora. rogo numquid velit.
'Recte' inquit.

Schol. ad v. 342. „1. Recte inquit pro eo quod est nihil. 2. Et moraliter τῷ ἀστεϊσμῷ."

Haec hactenus de tropis.

III.

Restant figurae sententiarum, quae quidem quia a Donato in arte non explicatae sunt, cum commento huius comparari nequeunt, ut quid genuinum, quid interpolatum sit, unde supra fecimus, percognoscere non liceat.

At loco Donatianae artis ponere possumus definitiones rhetorum Graecorum et Latinorum, quae si similes Donati sunt, quin, ubi Donati auctoritate caremus, cum huius grammatici sententia nihilo minus conveniant, non dubitandum est. Quod ut accuratius comprobem, locos Donati supra commemoratos cum Quintiliano,[1]) Rutilio Lupo,[2]) Aquila Romano,[2]) Julio Rufiniano,[2]) carmine de figuris,[2]) schematis dianoeas,[2]) Fortunatiano,[2]) Charisio,[3]) Diomede,[3]) Julio Victore,[2]) Isidoro,[2]) Martiano Capella,[2]) Beda,[2]) Alexandro,[4]) Tiberio,[4]) Phoebammone,[4]) Herodiano,[4]) Zonaeo,[4]) Anonymis duobus,[4]) Tryphone,[4]) Choerobosco,[4]) Cocondrio,[4]) Gregorio Corinthio,[4]) Demetrio[5]) comparabo, quantum hi rhetores figuras, vitia orationis, tropos tractaverunt. Quas comparationes ut lectores facilius persequantur, definitiones Donati exemplis omissis repetitae sunt.[6])

[1]) ed. Halm.

[2]) Halm. Rhetores latini minores. Leipzig. 1863.

[3]) G. L. K. I.

[4]) Walz. Rhetores Graeci. Stuttgart u. Tübingen. 1832–36. vol. VIII.

[5]) ed. Radermacher.

[6]) Nonnullorum troporum et figurarum definitiones, quae apud rhetores exstant, contulerunt Monse (Veterum rhetorum de sententiarum figuris doctrina. Breslau 1869) et Straub (De tropis et figuris, quae inveniuntur in orationibus Demosthenis et Ciceronis. Aschaffenburg. 1883.), sed illorum explicationes, quamvis dignae sint suis meritis, raro in nostrum usum vertere possumus. Tamen quibus locis duo viri docti de definitionibus a nobis infra tractatis agunt, nomina illorum adnotare non omisimus.

1. Figurae elocutionis.

Πρόληψις.

Don. G. L. K. IV. 397: „Prolepsis est praesumptio rerum ordine secutarum."

Charisius G. L. K. I. 280: „Prolepsis est cum ante numerus verbo redditur quam res personaeve rei finiuntur."[1])

Cf. Beda. H. 608.

Ζεῦγμα.

Don. l. c.: „Zeugma est unius verbi conclusio diversis clausulis apte coniuncta."

Diomedes. G. L. K. I. 444: „Zeugma est unius verbi conclusio diversis clausulis coniuncta."

Cf. Carm. de figg. H. 69, Charisius. G. L. K. I. 280, Beda. H. 608.

Zonaios. Walz. Rhetores Graeci. VIII. 686: „Ζεῦγμά ἐστιν, ὅταν διάφορα κῶλα μία συνδῇ λέξις, ἢ μετ' αὐτῶν τεθεῖσα, ἢ πρὸ αὐτῶν."

Cf. Alexander. W. VIII. 474.

Ὑπόζευξις.

Don. l. c.: „Hypozeuxis est figura superiori contraria, ubi diversa verba singulis quibusque clausulis proprie subiunguntur."

Charisius. l. c.: „Hypozeuxis est cum singulae res aut personae verbis suis cluduntur."

Cf. Diomedes. l. c., Beda. H. 608.

[1]) Rutilius Lupus, H. 14, autem scripsit: „Πρόληψις. Hoc est, cum id, quod in adversarii causa aut in iudicis opinione esse aut fore arbitramur contrarium nobis, praeoccupamus dicere et cum ratione dissolvere." — Πρόληψις igitur et figuram elocutionis et figuram sententiarum significare potest. Inde, quod Donatus figuram elocutionis, Rutilius Lupus autem figuram sententiarum definivit, dissensio exstitit. (Cf. Volkmann. Die Rhetorik der Griechen und Römer. Berlin. 1872. p. 421.)

Σύλληψις.

Don. l. c.: „Syllepsis est dissimilium clausularum per unum verbum conglutinata conceptio . . . hoc schema ita late patet, ut fieri soleat non solum per partes orationis, sed et per accidentia partibus orationis. item syllepsis est, cum singularis dictio plurali verbo adiungitur."

Diomed. l. c.: „Syllepsis est conceptio, cum singularis dictio plurali verbo vel posteriori tantum vel ultimo redditur . . . syllepsis est dissimilium rerum et clausularum per unum verbum conglutinata conceptio."

Cf. Charis. G. L. K. I. 281, Beda. H. 608.

Herodian. W. VIII. 604: „*Σύλληψις δὲ ὅταν τὸ τῷ ἑτέρῳ συμβεβηκὸς κἀπὶ θατέρου λαμβάνηται.*"

Cf. Anon. W. VIII. 695, Anon. W. VIII. 720, Gregor. Cor. W. VIII. 776.

Ἀναδίπλωσις. [1])

Don. l. c. p. 398: „Anadiplosis est congeminatio dictionis ex ultimo loco praecedentis versus et principio sequentis."

Aquila Romanus. H. 32: „*Ἀναδίπλωσις*, reduplicatio . . hic ea, quae in superiore membro postrema ponuntur, in posteriore prima repetuntur."

Cf. Carm. de figg. H. 65, Charis. l. c., Diomed. l. c. p. 445, Martian. Cap. H. 481, Beda H. 609.

Alexand. W. VIII. 446: „*τοῦτο δέ τινες ἰδίως ἀναδίπλωσιν λέγουσιν, ὅταν τὸ δεύτερον λεγόμενον ἄρχηται ἀπὸ τῆς τοῦ προηγουμένου τελευτῆς.*" [2])

Ἀναφορά. [3])

Don. l. c.: „Anaphora est relatio eiusdem verbi per principia versuum plurimorum."

---

[1]) Cf. Straub p. 114.

[2]) Paululum a Donato discrepant Phoebammon. W VIII. 499. Zonaios. W. VIII. 682. Demetrius. *περὶ ἑρμην.* ed. Radermacher p. 33 et 55., qui in eo *ἀναδίπλωσιν* constare putant, quod omnino verbum repetitur loco, quo iteratur, non respecto.

[3]) cf. Straub p. 110.

Carm. de figg. H. 64: „*Ἐπαναφορά.* Est repetitio, cum verbo saepe incipio uno."

Cf. Aquila Rom. H. 29 et 32, Quintil. IX. 3. 30, Charis. l. c., Diomed. l. c., Martian. Cap. H. 481, Beda. H. 609.

Phoebammon. W. VIII. 499: „*Ἐπαναφορὰ δέ ἐστιν, ἢ καὶ ἀναφορὰ, πλειόνων στίχων ἢ κώλων ἀπὸ τῶν αὐτῶν τοῦ λόγου μερῶν ἀρχή.*"

Cf. Demetrius ed. Raderm. p. 33 et 55, Alexand. W. VIII. 446, Tiber. W. VIII. 558, Zon. W. VIII. 680, Anon. W. VIII. 705.

Ἐπανάληψις.

Don. l. c.: „Epanalepsis est verbi in principio versus positi in eiusdem fine repetitio."

Beda. H. 609: „Epanalepsis est sermonis in principio versus positi in eiusdem fine repetitio."

Cf. Charis. l. a., Diomed. l. c. [1])

Ἐπίζευξις.

Don. l. c.: „Epizeuxis est eiusdem verbi in eodem versu sine aliqua dilatione congeminatio."

Diomed. l. c. I. 446: „De epizeuxi. Epizeuxis est eiusdem dictionis in eodem versu sine aliqua dilatione geminatio cum impetu pronuntiationis."

Cf. Charis. l. c. I. 281, Beda. H. 609.

Herodian. W. VIII. 603: „*Ἐπίζευξις δὲ ὅταν τὰ προκείμενα ὀνόματα διαλαμβάνοντες τὴν ἐπιφορὰν ἐκφαντικωτέραν ποιησώμεθα.*"

Παρονομασία. [2])

Don. l. c.: „Paronomasia est veluti quaedam denominatio."

---

[1]) Julius Rufin. H. 46 et 49, carm. de figg. H. 66, Alexand. W. VIII. 444, Trypho. W. VIII. 753., Cocondr. W. VIII. 797 tum quoque *ἐπανάληψιν* accipiunt, cum verbum repetitum alio loco atque in versus fine stat. Aliorum rhetorum definitiones — Rutil. Lupus. H. 8., Aquil. Rom. H. 31, Phoeb. W. VIII. 499, Tiber. W. VIII. 554., Zon. W. VIII. 679, Anon. W. VIII. 705, Georg. Choerob. W. VIII. 814. — cum Donato consentire non possunt, quia hi exempla ex oratione soluta hauserunt.

[2]) Straub p. 136.

Aquila Rom. H. 30: „*Παρονομασία*, levis immutatio. Haec figura ita ornat orationem, ut in nomine aut in verbo interdum syllaba, nonnumquam litera immutata diversa significet."

Cf. Julius Rufin. H. 51, Carm. de figg. H. 67, Schemata dian. H. 75, Charis. G. L. K. I. 282, Diomed. l. c., Martian. Cap. H. 481, Beda. H. 609.

Alexand. W. VIII. 477: „*Παρονομασία δὲ γίνεται, ὅταν τι τῶν ληφθέντων εἰς τὴν διάνοιαν ὀνομάτων ἢ ῥημάτων βραχὺ μεταποιήσαντες ἑτέραν κινήσωμεν ἔννοιαν.*"

Cf. Phoeb. W. VIII. 500, Tiber. W. VIII. 556, Herodian. W. VIII. 595, Zon. W. VIII. 686, Anon. W. VIII. 709.

Σχέσις ὀνομάτων.

Don. l. c.: „Schesis onomaton est multitudo nominum coniunctorum quodam habitu copulandi."

Beda. H. 610: „Schesis onomaton est multitudo nominum coniunctorum."

Cf. Charis l. c., Diomed. l. c.

Παρόμοιον.

Don. l. c.: „Parhomoeon est, cum ab isdem litteris diversa verba sumuntur."

Charis. l. c.: „Parhomoeon est cum verba omnia similiter incipiunt."

Cf. Diomed. l. c., Beda. H. 610.

Ὁμοιόπτωτον.

Don. l. c.: „Homoeoptoton est, cum in similes casus exeunt verba diversa."

Rutil. Lupus. H. 18: „*Ὁμοιόπτωτον.* Hoc in duobus verbis eundem habet casum aut eandem novissimam syllabam."

Cf. Aquila Rom. H. 30, Carm. de figg. H. 67, Charis. l. c., Diomed. l. c. p. 447, Martian. Cap. H 480, Beda. H. 610.

Alexand. W. VIII. 476: „*Ὁμοιόπτωτον δέ ἐστιν, ὅταν ἡ αὐτὴ πτῶσις ἐφ' ἓν ὄνομα πολλάκις ἀναφέρηται.*"

Cf. Tiber. W. VIII. 562, Herod. W. VIII. 600, Zon. W. VIII. 687, Anon. W. VIII. 710.

Ὁμοιοτέλευτον.

Don. l. c.: „Homoeoteleuton est, cum simili modo dictiones plurimae finiuntur."

Aquila Rom. H. 30: „*Ὁμοιοτέλευτον*, simile determinatione. Differt a superiore, quod illud quidem et casu et sono simili verba membrorum determinat: hoc vero non solum casuum similitudine, sed cuiuscumque verbi atque enuntiationis contentum est."

Cf. Quintil. IX. 3. 77, Rut. Lupus H. 19, Carm. de figg. H. 67, Charis. l. c., Diomed. l. c., Martian. Cap. H. 481, Beda. H. 610.

Alexand. W. VIII. 475: „*Ὁμοιοτέλευτον δὲ ἐστιν, ὅταν εἰς τὸ αὐτὸ μόριον πλεονάκις καταλήγωμεν.*"

Cf. Phoeb. W. VIII. 517, Zon. W. VIII. 687, Anon. W. VIII. 710.

Πολύπτωτον. [1])

Don. l. c. p. 398: „Polyptoton est multitudo casuum varietate distincta."

Aquila Rom. H. 33: „*Πολύπτωτον*, ex pluribus casibus. Hanc figuram ex eo nominaverunt, quod, cum saepius initium ab eadem parte orationis fiat, illa ipsa pars declinationibus casuum aut generibus aut numeris immutatur."

Cf. Rutil. Lup. H. 7, Carm. de figg. H. 67, Charis. l. c., Diomed. l. c., Martian. Cap. H. 482, Beda. H. 610.

Alexand. W. VIII. 473: „*Πολύπτωτόν ἐστιν, ὅταν ἢ τὰς ἀντωνυμίας ἢ τὰ ὀνόματα ταῖς πλείοσι πτώσεσι καὶ πάσαις μεταλαμβάνοντες πλέκωμεν τὸν λόγον.*"

Cf. Herod. W. VIII. 598, Anon. W. VIII. 646.

Ἱρμός.

Don. l. c.: „Hirmos est series orationis tenorem suum usque ad ultimum servans."

Diomed. G. L. K. I. 447: „Hirmos est cum uniformis continuatur series orationis unius casus tenorem ad clausulam usque custodiens."

Cf. Charis. l. c., Beda. H. 611.

---

[1]) cf. Straub. p. 130.

Πολυσύνδετον. [1]

Don. l. c.: „Polysyndeton est multis nexa coniunctionibus dictio.“

Quintil. IX. 3. 50. 51: „contrarium illud est schema, quod coniunctionibus abundat: illud *ἀσύνδετον*, hoc *πολυσύνδετον* dicitur.“

Cf. Rutilius Lup. H. 9, Carm. de figg. H. 65, Charis. l. c. p. 283, Diomed. l. c.

Ἀσύνδετον. [2]

Don. l. c.: „Dialyton vel asyndeton est figura superiori contraria carens coniunctionibus.“

Rutilius Lup. H. 9: „*Διάλυσις*. Hoc schema contrarium est superiori. Nam demptis omnibus articulis sententiae divisae pronuntiantur.“

Cf. Quintil. IX. 3. 50, Aquila Rom. H. 35, Charis. l. c., Diomed. l. c., Martian. Cap. H. 482, Beda H. 611.

Alexand. W. VIII. 469: „*Περὶ ἀσυνδέτου ἢ διαλύσεως. Κατὰ τοῦτο τὸ σχῆμα τοὺς συνδέσμους αἴροντες τοὺς ὀφείλοντας τὰ κῶλα συνάπτειν οὕτω φαμὲν τὸν λόγον.*“

Cf. Phoeb. W. VIII. 498, Tiber. W. VIII. 568, Herod. W. VIII. 607, Zon. W. VIII. 688, Anon. W. VIII. 711.

2. Vitia orationis.

Κακέμφατον.

Don. G. L. K. IV. 394: „Cacenphaton est obscena enuntiatio vel in conposita dictione vel in uno verbo.“

Quintil. VIII. 3. 44 sq.: „Sed quoniam vitia prius demonstrare adgressi sumus, ab hoc initium sit, quod *κακέμφατον* vocatur: sive mala consuetudine in obscenum intellectum sermo detortus est . . . sive iunctura deformiter sonat.“

Cf. Charis. l. c. p. 270, Diomed. l. c. p. 451, Julius Victor. H. 433, Martian. Cap. H. 475.

---

[1] cf. Straub p. 118.
[2] id. p. 119.

Περισσολογία.

Don. l. c. p. 395: „Perissologia est supervacua verborum adiectio sine ulla vi rerum.“

Charis. l. c. p. 271: „Perissologia est multorum verborum adiectio supervacua.“

Cf. Quintil. VIII. 6. 61, Diomed. l. c. p. 449, Isidorus. H. 517.

Πλεονασμός.

Don. l. c.: „Pleonasmos est adiectio verbi supervacui ad plenam significationem.“

Quintil. VIII. 3. 53: „est et pleonasmos vitium, cum supervacuis verbis oratio oneratur.“

Cf. Aquila Rom. H. 36, Carm. de figg. H. 70, Martian. Cap. H. 483.

Alexand. W. VIII. 469: „*Πλεονασμὸς δέ ἐστιν, ὅταν ᾖ τῷ λόγῳ προσκείμενον μόριον ἐκ τοῦ περιττοῦ κόσμου χάριν ἢ ἐμφάσεως.*“

Cf. Tiber. W. VIII. 563, Zon. W. VIII. 683, Anon. W. VIII. 722, Cocondr. W. VIII. 797, Georg. Choirob. W. VIII. 813.

Μακρολογία.

Don. l. c.: „Macrologia est longa sententia res non necessarias comprehendens.“

Quintil. VIII. 3. 53: „vitanda etiam macrologia id est longior quam oportet sermo.“

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c.

Ταυτολογία.

Don. l. c.: „Tautologia est eiusdem dictionis repetitio vitiosa.“

Quintil. VIII. 3. 50: „tautologia, id est eiusdem verbi aut sermonis iteratio.“

Cf. Aquila Rom. H. 34, Charis. l. c., Diomed. l. c. p. 450.

Phoeb. W. VIII. 498: „*Ταυτολογία λέξεων ἐστὶ ταὐτὸ σημαινουσῶν παράλληλος θέσις.*“

Cf. Zon. W. VIII. 681, Anon. W. VIII. 706.

Ἔλλειψις.[1])

Don. l. c.: „Eclipsis est defectus quidam necessariae dictionis, quam desiderat praecisa sententia."

Carm. de figg. H. 70: „*Ἔλλειψις.* Fit defectio, cum verbum, quod subtraho grate, defit."

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c.

Phoeb. W. VIII. 498: „*Ἔλλειψις δὲ ἐστι παράλειψις λέξεως νοουμένης ἐκ τῆς συμφράσεως.*"

Cf. Tiber. W. VIII. 570, Zon. W. VIII. 683, Anon. W. VIII. 721, Georg. Choirob. W. VIII. 813.

Ταπείνωσις.

Don. l. c.: „Tapinosis est humilitas rei magnae non id agente sententia."

Quintil. VIII. 3. 48: „Deformitati proximum est humilitatis vitium (*ταπείνωσιν* vocant), qua rei magnitudo vel dignitas minuitur."

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c.

Κακοσύνθετον.

Don. l. c.: „Cacosyntheton est vitiosa conpositio dictionum."

Quintil. VIII. 3. 59: „. . . quod male conlocatum, id *κακοσύνθετον* vocant."

Ἀμφιβολία.

Don. l. c.: „Amphibolia est ambiguitas dictionis."

Fortunatian. H. 99: „Ambiguitas quot modis fit? quinque: per discretum sive indiscretum modo obscuro, per homonymiam, per distinctionem, per abundantiam, per deficientiam."

Cf. Quintil. VII. 9. 1. sqq. et VIII. 2. 16, Julius Victor. H. 383, Charis. l. c., Diomed. l. c.

Tryph. W. VIII. 755: „*Ἀμφιβολία ἐστὶ λέξις ἢ λόγος δύο καὶ πλείονα πράγματα δηλοῦσα.*"

Cf. Gregor. Cor. W. VIII. 774, Cocondr. W. VIII. 797.

---

[1]) Straub p. 126.

3. Tropi.

Μεταφορά.[1])

Don. G. L. K. IV. 399: „Metaphora est rerum verborumque translatio."

Quintil. VIII. 6. 4 sq.: „Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequentissimus est tum longe pulcherrimus, translatione dico, quae *μεταφορά* graece vocatur . . . transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est."

Cf. Charis. l. c. p. 272, Diomed. l. c. p. 457.

Cocondr. W. VIII. 784: „*Μεταφορά ἐστι μέρος λόγου ἀπὸ τοῦ κυρίως λεγομένου μεταφερόμενον εἰς ἕτερον ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα.*"

Cf. Anon. W. VIII. 715, Trypho. W. VIII. 729, Gregor. Cor. W. VIII. 765, Georg. Choerob. W. VIII. 804.

Κατάχρησις.[2])

Don. l. c. p. 400: „Catachresis est usurpatio nominis alieni, ut parricidam dicimus qui occiderit fratrem."

Quintil. VIII. 1. 5: „nam et qui iaculum emittit iaculari dicitur, qui pilam aut sudem, appellatione privatim sibi adsignata caret: et ut lapidare quid sit manifestum est, ita glaebarum testarumque iactus non habet nomen. unde abusio, quae *κατάχρησις* dicitur, necessaria."

Cf. Charis. l. c. p. 273, Diomed. l. c. p. 458, Beda. H. 612.

Tryph. W. VIII. 731: „*Κατάχρησις ἐστὶ λέξις μετενηνεγμένη ἀπὸ τοῦ πρώτου κατονομασθέντος κυρίως τε καὶ ἐτύμως ἐφ' ἕτερον ἀκατονόμαστον.*"

Cf. Anon. W. VIII. 716, Gregor. Cor. W. VIII. 766, Cocondr. W. VIII. 784, Georg. Choerob. W. VIII. 806.

Μετάληψις.

Don. l. c.: „Metalepsis est dictio gradatim pergens ad id quod ostendit."

Charis. l. c.: „Metalepsis est dictio per gradus homonymiae ad propriam significationem descendens."

Cf. Quintil. VIII. 6. 37, Diomed. l. c.

---

[1]) Straub p. 26.
[2]) id. p. 70.

Anon. W. VIII. 717: „*Μετάληψίς ἐστι λέξις διὰ τῆς συνωνύμου τὸ ὁμώνυμον δηλοῦσα.*"

Cf. Tryph. W. VIII. 738, Gregor. Cor. W. VIII. 767, Cocondr. W. VIII. 793, Georg. Choerob. W. VIII. 807.

Μετωνυμία.[1])

Don. l. c.: „Metonymia est dictio quaedam veluti transnominatio."

Quintil. VIII. 6. 23: „Nec procul ab hoc genere discedit metonymia, quae est nominis pro nomine positio."

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c., Martian. Cap. H. 474, Beda. H. 612.

Cocondr. W. VIII. 786: „*Μετωνυμία δέ ἐστιν λέξις ἀντὶ ἑτέρας λέξεως παραλαμβανομένη κατά τινα κοινωνίαν τῶν πραγμάτων.*"

Cf. Anon. W. VIII. 717, Tryph. W. VIII. 739, Gregor. Cor. W. VIII. 770, Georg. Choerob. W. VIII. 811.

Ἀντονομασία.

Don. l. c.: „Antonomasia est significatio vice nominis posita."

Quintil. VIII. 6. 29: „Antonomasia, quae aliquid pro nomine ponit."

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c. p. 459.

Tryph. W. VIII. 756: „*Ἀντονομασία ἐστὶ λέξις ἢ φράσις διὰ συνωνύμων ὀνομάτων τὸ κύριον παριστῶσα.*"

Cf. Anon. W. VIII. 723, Gregor. Cor. W. VIII. 774, Cocondr. W. VIII. 787, Georg. Choerob. W. VIII. 811.

Ἐπίθετον.

Don. l. c.: „Epitheton est praeposita dictio proprio nomini."

Charis. l. c.: „epitheton est dictio vocabulo adiecta ornandi aut destruendi aut indicandi causa."

Cf. Diomed. l. c., Beda. H. 613.

Συνεκδοχή.[2])

Don. l. c.: „Synecdoche est significatio pleni intellectus capax, cum plus minusve pronuntiat."

[1]) Straub p. 16.
[2]) Straub p. 7.

Quintil. VIII. 6. 19: „Quod aliquanto etiam magis de synecdoche dicam . . . haec variare sermonem potest, ut ex uno pluris intellegamus, parte totum, specie genus."

Cf. Beda. H. 613.

Tryph. W. VIII. 739: „*Συνεκδοχή ἐστι φράσις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξενηνεγμένη, προσδεομένη δέ τινος ἔξωθεν ἀκολουθίας.*"

Cf. Anon. W. VIII. 697, Anon. W. VIII. 718, Gregor. Cor. W. VIII. 769, Cocondr. W. VIII. 790, Georg. Choerob. W. VIII. 809.

Ὀνοματοποιία.

Don. l. c.: „Onomatopoeia est nomen de sono factum, ut tinnitus aeris, clangor tubarum."

Quintil. VIII. 6. 31: „Onomatopoeia quidem, id est fictio nominis, Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. et sunt plurima ita posita ab iis, qui sermonem primi fecerunt aptantes adfectibus vocem: nam 'mugitus' et 'sibilus' et 'murmur' inde venerunt."

Cf. Charis. l. c. p. 274, Diomed. l. c. 460, Beda. H. 613.

Cocondr. W. VIII. 783: „*Ὀνοματοποιία ἐστὶ λέξις ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ παρὰ τὰς τῶν ἤχων ἰδιότητας μιμητικῶς κατεσκευασμένη.*"

Cf. Anon. W. VIII. 720, Tryph. W. VIII. 740, Gregor. Cor. W. VIII. 770, Georg. Choerob. W. VIII. 810.

Περίφρασις.[1])

Don. l. c. p. 400 sq: „Periphrasis est circumlocutio."

Quintil. VIII. 6. 59: „Pluribus autem verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, periphrasin vocant, circumitum quendam eloquendi."

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c. p. 460, Beda. H. 614.

Georg. Choerob. W. VIII. 812: „*Περίφρασίς ἐστι περισσὴ φράσις διὰ πλειόνων λέξεων ἕν τι σημαίνουσα.*"

Cf. Alexand. W. VIII. 468, Phoeb. W. VIII. 500, Tiber. W. VIII. 564, Zon. W. VIII. 689, Anon. W. VIII. 712, Tryph. W. VIII. 742, Gregor. Cor. W. VIII. 771, Cocondr. W. VIII. 791.

[1]) Straub p. 22.

῾Υπέρβατον.[1]

Don. G. L. K. IV. 401: „Hyperbaton est transcensio quaedam verborum ordinem turbans.“

Quintil. VIII. 6. 62: „Hyperbaton quoque, id est verbi transgressionem, . . . non immerito inter virtutes habemus.“

Cf. Charis. l. c. 275, Diomed. l. c. 460.

Gregor. Cor. W. VIII. 768: „*῾Υπέρβατόν ἐστι φράσις ἀναμέσον τὰ ἑξῆς ἔχουσα.*“

Cf. Alexand. W. VIII. 481, Phoeb. W. VIII. 501, Tiber. W. VIII. 561, Anon. W. VIII. 644, Zon. W. VIII. 689, Anon. W. VIII. 713, Tryph. W. VIII. 743, Cocondr. W. VIII. 791, Georg. Choerob. W. VIII. 808.

῾Υστερολογία.

Don. l. c.: „hysterologia vel hysteroproteron est sententiae cum verbis ordo mutatus.“

Diomed. l. c. p. 461: „hysterologia est vel hysteroproteron cum id quod primum esse debet secundo ponitur loco, sensuum ordo praeposterus.“

Cf. Beda. H. 614.

Georg. Choerob. W. VIII. 818: „*῾Υστερολογία ἐστὶ λόγος πρῶτος ὕστερος λεγόμενος καὶ διὰ τοῦτο πρωθύστερος ὀνομαζόμενος.*“

Cf. Gregor. Cor. W. VIII. 778.

᾿Αναστροφή.

Don. l. c.: „anastrophe est verborum tantum praeposterus, ut 'Italiam contra'[2]) pro contra Italiam.“

Quintil. VIII. 6. 65: „verum id cum in duobus verbis fit, anastrophe dicitur, reversio quaedam, qualia sunt vulgo 'mecum, secum.'“

Cf. Carm. de figg. H. 69, Charis. l. c., Diomed. l. c., Beda. H. 614.

Phoeb. W. VIII. 502: „*᾿Αναστροφή δέ ἐστι λέξεως θέσις ἐν δευτέρᾳ τάξει μηδενὸς ἀντιπίπτοντος, δέον αὐτὴν προηγεῖσθαι.*“

Cf. Georg. Choerob. W. VIII. 808.

[1]) Straub p. 127.

[2]) Verg. Aen. I. 3.

Παρένθεσις.

Don. l. c.: „parenthesis est interposita ratiocinatio divisae sententiae.“

Quintil. IX. 3. 23: „illa quoque ex eodem genere possunt videri: unum quod interpositionem vel interclusionem, Graeci *παρένθεσιν, παρέμπτωσιν* vocant, dum continuationi sermonis medius aliqui sensus intervenit.“

Cf. Rutilius Lup. H. 10. — Carm. de figg. H. 68. — Diomed. l. c. 460. — Beda. H. 614. —

Τμῆσις.

Don. l. c.: „tmesis est unius conpositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interiectis.“

Diomed. l. c.: „diacope est sive tmesis diductio conpositae dictionis interposito extrinsecus verbo.“

Cf. Beda. H. 614.

Σύγχυσις.

Don. l. c.: „synchysis est hyperbaton ex omni parte confusum.“

Charis. l. c.: „synchysis est hyperbaton obscurum.“

Cf. Diomed. l. c. 461, Beda. H. 614.

῾Υπερβολή.[1]

Don. l. c.: „Hyperbole est dictio fidem excedens augendi minuendive causa.“

Julius Rufinian. H. 47: „*῾Υπερβολή* aliis tropus videtur: ceterum fit, cum excedit veritatem sententia.“

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c., Beda. H. 615.

Tryph. W. VIII. 746: „*῾Υπερβολή ἐστι φράσις ὑπεραίρουσα τὴν ἀλήθειαν αὐξήσεως ἢ μειώσεως χάριν.*“

Cf. Anon. W. VIII. 721, Gregor. Cor. W. VIII. 772, Cocondr. W. VIII. 791, Georg. Choerob. W. VIII. 814.

᾿Αλληγορία.

Don. l. c.: „Allegoria est tropus, quo aliud significatur quam dicitur.“

Quintil. VIII. 6. 44: „Allegoria, quam inversionem interpretantur, aut aliud verbis, aliud sensu ostendit, aut etiam interim contrarium.“

[1]) Straub p. 10.

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c., Beda. H. 615.

Anon. W. VIII. 715: „*Ἔστι μὲν οὖν ἀλληγορία λέξις ἕτερον μὲν λέγουσα, ἑτέρου δὲ ἔννοιαν παριστῶσα.*“

Cf. Tryph. W. VIII. 732, Gregor. Cor. W. VIII. 764, Cocondr. W. III. 787, Georg. Choerob. W. VIII. 803.

Εἰρωνεία. [1])

Don. l. c.: „ironia est tropus per contrarium quod conatur ostendens.“

Quintil. VIII. 6. 54: „In eo vero genere, quo contraria ostenduntur, ironia est: inlusionem vocant.“

Cf. Aquila Rom. H. 24, Charis. l. c., Diomed. l. c.

Herodian. W. VIII. 590: „*Ἔστι δὲ εἰρωνεία λόγος δια τῶν ἐναντίων κατ' ἐπίτασιν τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα σημαίνων.*“

Cf. Phoeb. W. VIII. 512, Anon. W. VIII. 648 et 724, Zon. W. VIII. 679, Tryph. W. VIII. 757, Gregor. Cor. W. VIII. 788.

Ἀντίφρασις.

Don l. c.: „antiphrasis est unius verbi ironia.“

Charis. l. c : „antiphrasis est dictio ex contrario significans.“

Cf. Diomed. l. c., Beda. H. 615.

Anon. W. VIII. 722: „*Ἀντίφρασις δέ ἐστι λόγος δι' ἐναντίου τὸ ἐναντίον σημαίνων.*“

Cf. Tryph. W. VIII. 755, Gregor. Cor. W. VIII. 773, Cocondr. W. VIII. 785.

Αἴνιγμα. [2])

Don. l. c.: „aenigma est obscura sententia per occultam similitudinem rerum.“

Quintil. VIII. 6. 52: „sed allegoria, quae est obscurior, aenigma dicitur.“

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c.

Georg. Choerob. W. VIII. 815: „*Αἴνιγμα ἐστὶ λόγος σκοτεινὸν καὶ κεκαλυμμένον ἔχων ἐν ἑαυτῷ τὸ νοούμενον.*“

Cf. Anon. W. VIII. 717, Tryph. W. VIII. 733, Gregor. Cor. W. VIII. 776.

---

[1]) Monse p. 24. sqq.
[2]) Straub p. 73.

Χαριεντισμός.

Don. l. c., „charientismos est tropus, quo dura dictu gratius proferuntur.“

Charis. l. c.: „charientismos est dictio per ea quae grata sunt aliud dicens aliud significans.“

Cf. Julius Rufinian. H. 39, Beda. H. 616.

Herodian. W. VIII. 592: „*Χαριεντισμός δέ ἐστι λόγος ἠθικὸς μετὰ χάριτος παριστῶν τὴν τοῦ λέγοντος ἐπί τινι διάχυσιν.*“

Παροιμία.

Don. l. c.: „paroemia est accommodatum rebus temporibusque proverbium.“

Quintil. V. 11. 21: „. . *παροιμίας* genus illud, quod est velut fabella brevior et per allegorian accipitur.“

Cf. Charis. l. c., Diomed. l. c.

Demetr. *περί ἑρμην* 156. (Raderm. p. 36): „. . *φύσει γαρ χαρίεν πρᾶγμά ἐστιν ἡ παροιμία ὡς ὁ Σώφρων μὲν, Ἐπιάλης, ἔφη, ὁ τὸν πατέρα πνίγων. καὶ ἀλλαχοῦ πού φησιν, ἐκ τοῦ ὄνυχος γὰρ τὸν λέοντα ἔγραψεν.*“

Σαρκασμός.

Don. G. L. K. IV. 402: „sarcasmos est plena odio atque hostilis inrisio.“

Diomed. l. c.: „sarcasmos est plena odio atque hostilis inrisio per figuram enuntiata.“

Cf. Julius Rufinian. H. 40., Charis. l. c., Beda. H. 616.

Gregor. Cor. W. VIII. 773: „*Σαρκασμός ἐστι φράσις τοῖς ῥητοῖς λεγομένη τοὐναντίον μετὰ χλευασμοῦ.*“

Cf. Herodian. W. VIII. 591, Anon. W. VIII. 725, Tryph. W. VIII. 758.

Ἀστεϊσμός.

Don. l. c.: „astismos est tropus multiplex numerosaeque virtutis. namque astismos putatur quidquid simplicitate rustica caret et faceta satis urbanitate expolitum est.“

Julius Rufinian. H. 39: „*Ἀστεϊσμός*, urbana dictio. Hac figura fit excitatis aliis ingenua festivitas.“

Cf. Quintil. VIII. 6. 57., Charis. l. c., Diomed. l. c.

Herodian. W. VIII. 601: „Ἀστεϊσμὸς δέ ἐστι προσποίησις πιθανὴ τοῦ μὴ λέγειν ἢ μνημονεύειν ἡμᾶς ἃ λέγομεν."

Cf. Anon. W. VIII. 725.

Ὁμοίωσις.

Don. l. c.: „homoeosis est minus notae rei per similitudinem eius quae magis nota est demonstratio."

Julius Rufinian. H. 44: „Ὁμοίωσις est, cum per similitudinem res praesentantur."

Cf. Charis. l. c. 277, Diomed. l. c. 463, Beda. H. 618.

Tryph. W. VIII. 747: „Ὁμοίωσίς ἐστι ῥῆσις, καθ' ἣν ἕτερον ἑτέρῳ παραβάλλομεν."

Cf. Cocondr. W. VIII. 793.

IV.

Quoniam Donati definitiones figurarum elocutionis, orationis vitiorum, troporum a rhetoribus supra (p. 36.) allatis non abhorrere vidimus, nihil nos impedit, ne sententiarum quoque figurarum definitiones, si a Donato in arte essent praescriptae, cum rhetoribus illis consensisse dicamus. Quam ob rem ad scholia Donatiana de figuris sententiarum a falsis seiungenda definitionibus eorum fundamento nos uti posse arbitror, ut similia Donato genuino addicamus, subditivo dissimilia. Loci, quibus sententiarum figurae inveniuntur, compositi sunt in tab. C.

Sed ordiamur a figura

προσωποποιΐα.

Demetr. de eloc. ed. Raderm. p. 54: „Παραλαμβάνοιτο δ' ἂν σχῆμα διανοίας πρὸς δεινότητα ἡ προσωποποιΐα καλουμένη, οἷον· δόξατε ὑμῖν τοὺς προγόνους ὀνειδίζειν καὶ λέγειν τάδε τινὰ ἢ τὴν Ἑλλάδα ἢ τὴν πατρίδα, λαβοῦσαν γυναικὸς σχῆμα." [1])

[1]) Cf. Quintil. IX. 2. 29 sqq, Rutil. Lupus. H. 15, Aquila Rom. H. 23, Schemata dianoeas. H. 72, Alexander. W. VIII. 443, Zonaios. W. VIII. 676, Anon. W. VIII. 701.

Demetrius igitur, cum persona quaedam loquens inducitur, προσωποποιΐαν fieri contendit. — Georg. Choerob. autem 'τὰ ἄψυχα' quoque loquentia induci posse docet. W. VIII. 816: „Προσωποποιΐα ἐστίν, ὡς ὅταν τις τοῖς ἀψύχοις πρόσωπα ἐσθ' ὅτε καὶ λόγους ἁρμοδίους προσάπτῃ. ὡς τὸ „οἱ οἰωνοὶ διηγοῦνται δόξαν θεοῦ." [1])

Cum προσωποποιΐᾳ coniungamus

ἠθοποιΐαν.

Quae figurae inter se sibi similes sunt atque saepe a rhetoribus antiquis confusae, ita, ut haud facile intellegas, quid inter eas discriminis fuerit.

Quintil. IX. 2. 58: „Imitatio morum alienorum, quae ἠθοποιΐα, vel ut alii malunt, μίμησις dicitur, iam inter leniores adfectus numerari potest: est enim posita fere in eludendo, sed versatur et in factis et in dictis. in factis, quod est ὑποτυπώσει vicinum, in dictis, quale est apud Terentium:

at ego nesciebam, quorsum tu ires, parvola
hinc est abrepta, eduxit mater pro sua,
soror dicta est: cupio abducere, ut reddam suis."

Alexand. W. VIII. 449: „Ἠθοποιΐα δέ ἐστιν, ὅταν ὑπάρχοντα πρόσωπα τιθέντες λόγους τινὰς αὐτοῖς περιτιθῶμεν πρὸς τὸ πιστοτέρους αὐτοὺς δόξαι εἶναι, ἢ εἰ αὐτοὶ ἐλέγομεν αὐτούς."

Phoeb. W. VIII. 510: „Ἡ δὲ ἠθοποιΐα διχῇ γίνεται· ἢ γὰρ πρὸς παρόντας ὀκνῶν ὡς ἀπ' ἐμαυτοῦ λέγειν περιτίθημι ἄλλῳ προσώπῳ τὸ λεγόμενον, ἢ ὡς ἀφ' ἑαυτοῦ λέγων, ὡς πρὸς ἄλλους εἰρημένα λέγω."

Tiber. W. VIII. 537: „Ἠθοποιΐα δέ ἐστιν, ὅταν φεύγοντες τὸ προσκρουστικὸν τῶν ἐπιτιμήσεων ὡς ὑφ' ἑτέρων προσώπων γινομένας εἰσάγωμεν."

Zon. W. VIII. 676: „Ἠθοποιΐα, ὅταν λόγους παρατιθῶμεν ἀψύχοις πράγμασιν." [2])

A Graecorum definitionibus non recedunt Romani.

Aquila Rom. H. 2: „Ἠθοποιΐα moralis confictio. Haec figura differt a superiore (προσωποποιΐᾳ) eo, quod

[1]) Anon. W. VIII. 722, Quintil. IX. 2. 31.
[2]) Cf. Anon. W. VIII. 701.

ibi et personas fingimus, quae nusquam sunt, hic certis quibusdam personis verba accommodata adfingimus, vel ad improbitatem earum demonstrandam vel ad dignitatem."

Quibus definitionibus allatis veteres rhetores figuras προσωποποιίαν et ἠθοποιίαν non certis finibus inter se secrevisse apertum est.[1]) Alii contendunt προσωποποιίαν esse, cum persona quaedam, ἠθοποιίαν autem, cum res tamquam persona inducatur; alii προσωποποιίαν nos habere arbitrantur, cum persona, quae aut nunquam vixit aut vixit quidem, sed iam non viva est, loquens fingitur, ἠθοποιίαν autem, cum rebus, quae vita carent, verba tribuimus. Zonaeus denique et Anonymus (W. VIII. 701.) eodem modo ἠθοποιίαν, quo Anonymus (W. VIII. 722.) et Georg. Choerob. (W. VIII. 816.) προσωποποιίαν definiunt.

Προσωποποιίας unum exemplum apud Donatum habemus.

Andr. 284.

. . Iam ferme moriens me vocat:
Accessi: vos semotae. nos soli: incipit
'Mi Pamphile, huius formam atque aetatem vides'.

Schol. 1. ad v. 286: „Mi Pamphile μίμησις per prosopopoeiam et principium a blandimento."

Pamphilus ea verba, quae Chrysis moriens dixit, refert, illam igitur mortuam ut vivam inducit.

Nunc dicendum est de adnotationibus figuras ἠθοποιίαν vel μίμησιν continentibus. In Eunuchi prologo condicio haec est: Terentius a poeta quodam, qui sibi maledicere conatus sit, se defendit:

v. 14: Dehinc ne frustretur ipse se aut sic cogitet
'Defunctus iam sum, nil est quod dicat mihi'.

Schol. 3 ad v. 15: „Defunctus iam sum σχῆμα διανοίας· ἠθοποιία."

Personae igitur cuidam verba accommodata adfinguntur.

[1]) Cf. Volkmann. l. c. p. 231 et 417.

Andr. 772.

Ne illa illum haud novit, cuius causa haec incipit:
'Chremes si positum puerum ante aedis viderit,
Suam gnatam non dabit': tanto hercle magis dabit.

Ad versum 773 duo inter se similia scholia habemus:

1. „Chremes si positum puerum ἐν ὑποκρίσει. et est μίμησις, transit enim a mixto ad imitativum characterem."
2. „Chremes si p. p. μίμησις, quando aliena verba sic pronuntiamus, ut vana videantur."

Scholion secundum, quia cum nulla de definitionibus praemissis congruit, interpolatum, primum autem genuinum habendum est.

Eun. 155.

Aut ego nescibam, quorsum tu ires? 'parvola
Hinc est abrepta: eduxit mater pro sua
Soror dictast: cupio abducere, ut reddam suis'.

Schol. ad v. 156. bene admonet: „Hinc est abrepta eduxit mater pro sua vide μίμησιν cum odio inductam."

Eun. 308.

Scis te mihi saepe pollicitum esse Chaerea, aliquid inveni
Modo quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam'.

Schol. 3 ad v. 308: „Chaerea aliquid inveni induxit μίμησιν."

Eun. 580.

'Ego' inquit 'ad cenam hinc eo'.

Schol. ad v. 580: „Ego inquit ad cenam hinc eo μίμησις ad imprudentiam mulieris exprimendam, quae hoc dixerit secura de custode eunucho."

Ad hoc spectant porro Andr. 110. Eun. 595. Ad. 204. Hec. 803. Ph. 102. 141.

Andr. 387.

Nempe hoc sic esse opinor: dicturum patrem
'Ducas volo hodie uxorem'.

Schol. 2 ad v. 387: „Nempe hoc sic esse opinor ab imitatione. mimesis enim dicitur."

Suo iure Wessnerus verba 'mimesis enim dicitur' interpolata habet, cum ex verbis antecedentibus exhausta videantur esse.

Nunc singulis exemplis *προσωποποιίας, ἠθοποιίας, μιμήσεως* consideratis, quidnam Donatum de his figuris cogitasse putemus, quaerenti mihi tantum apertum esse videtur eum *προσωποποιίαν* ad homines mortuos, qui ut vivi loquentes inducuntur, *ἠθοποιίαν* ad personas fictas, quibus verba attribuuntur, *μίμησιν* denique ad homines vivos, qui non adsunt, sed loquentes finguntur, pertinere censuisse.

Pauca addenda sunt de

Ad. 306.

Ge.: „Quem neque fides neque ius iurandum neque illum misericordia
Repressit neque reflexit neque quod partus instabat prope,
Cui miserae indigne per vim vitium obtulerat." So. „Non intellego
Satis quae loquitur."

Quae ad verba adnotantur in schol. 3 ad v. 308 haec: „Non intellego ad hoc Sostrata ignorans inducitur, ut malo nuntio repente feriatur. et quia oportuit ipsam priorem loqui, praesens loquitur. quia autem non est perdenda tam suavis *ἠθοποιία* dolentis ad irascentem, idcirco non audit Geta, conversus ne ob illam loqui desinat."

Primo mihi in incerto erat, qua re, qui haec verba scripsit, commotus esset, ut hic *ἠθοποιίαν* esse diceret. At hic *ἠθοποιίαν* non figurae nomen, sed morum affectumque expressionem quandam esse apertum est.

Ἐρώτησις et *ἐρώτημα*.

Alexand. W. VIII. 455: „*Ἐρώτημά ἐστι πρὸς ὃ ἀνάγκη ἀποκρίνασθαι κατ' ἀπόφασιν ἢ κατάφασιν οὕτω, ναὶ ἢ οὔ.*"

Non aliter hanc figuram definiunt Zonaeus. W. VIII. 678 et Anonymus W. VIII. 703. Phoeb. W. VIII. 496. veteres *ἐρώτησιν* et *πύσμα* internovisse tradidit; ad hanc figuram paucis, ad illam multis verbis responderi solere. Anon. W. VIII. 632 sententiam suam exemplis illustrat:

πῶς τίς τοι πρόφρων ἔπεσι πείθηται Ἀχαιῶν;
τίς δὲ σύ ἐσσι φέριστε καταθνητῶν ἀνθρώπων.

Definitiones allatae ostendunt veteres duo genera interrogationis habuisse; alterum tale est, ut responso opus sit, alterum tale, ut responsum non exspectetur. Quintilianus (IX. 2. 7.) eas interrogationes, quae sciscitandi gratia adsumerentur, non in figurarum numero habendas esse dicit; figuratas autem has interrogationes esse: „quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? et quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?" Eiusmodi interrogationes nos rhetoricas appellare solemus. Ut Quintilianus, ita rhetores latini minores qui dicuntur interrogationes nisi rhetoricas figuris non adscribunt. Aquila Roman. H. 25: „*ἐρώτημα*, interrogatum. Eo utimur, ubi exacerbando aliquid interrogamus et augemus eius invidiam."

Iam locos commentariorum ad hoc spectantes examinare placet.

Hec. 67.

Nam nemo illorum quisquam scito, ad te venit.
Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.
Hiscene tu amabo non contra insidiabere?

Schol. 1 ad v. 70: „Hiscene tu *ἐρώτησις*."

Praeclarum exemplum *ἐρωτήσεως* praebet versus

275. Ph.

Sed siquis forte malitia fretus sua
Insidias nostrae facit adulescentiae
Ac vicit, nostran culpa east an iudicum?

Schol. 1 ad v. 275: „Nostrane culpa an iudicum potentior facta sententia est *τῇ ἐρωτήσει.*"

Quae verba commentatorem, quo loco haec figura a rhetoribus statuatur, recte intellexisse demonstrant idemque significant, quod Aquila Rom. H. 25. profert: „Haec enim si sine interrogatione dicantur . ., minus invidiose proferuntur," et Cicero or. 137 eandem sententiam verbis „ut interrogando urgeat" exprimit.

Nunc venimus ad tertium exemplum, ex quo Donatum quoque inter *ἐρώτησιν* et *ἐρώτημα* internovisse discimus.

Ph. 682.

An. „Quid egisti?“ Ge. „Emunxi argento senes.“
An. „Satine est id?“ Ge. „Nescio hercle, tantum iussus sum.“

Schol. 3 ad v. 683: „Satin est id ἐρώτημα est.“

Interrogationes, de quibus supra egimus, quod responsis carent, in ἐρωτήσεων numero habitae sunt. Ubi autem respondetur ad interrogationem, ἐρώτημα est accipiendum.

Ἐπιτροχασμός.

Aquila Rom. H. 24: „Ἐπιτροχασμός, percursio, distantia plura inter se percurrens velocitate ipsa circumponit.[1])

Eun. 804.

Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?

Schol. ad v. 804: „Quis tu homo es q. t. v. ἐπιτροχασμός figura est, ubi multa terribiliter interrogantur.“

Ph. 385.

De. „Dic nomen.“ Ph. „Nomen? maxime.“ De. „Quid nunc taces?
Ph. „Perii hercle, nomen perdidi.“ De. Hem, quid ais?“
Ph. „Geta,
Si meministi id quod olim dictumst, subice. em
Non dico: quasi non nosses, temptatum advenis.“
De. „Ego autem tempto?“ Ge. „Stilpo.“ Ph. „Atque adeo quid mea?
Stilpost.“ De. „Quem dixti?“ Ph. „Stilponem inquam noveras.“

Schol. ad v. 390: „Stilponem inquam noras figura ἐπιτροχασμός. est autem ἐπιτροχασμός verborum super se invicem effusio vel supermersio, quae fit adversarii causa turbandi.“

Ad. 670.

Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur dixit alienam?

[1]) Cf. Schemata dianoeas. H. 72, Phoeb. W. VIII. 505, Alexand. W. VIII. 450, Anon. W. VIII. 701.

Schol. 2 ad v. 670: „Quis despondit latenter obiurgat Aeschinum rem sine patre gessisse. et dicitur figura ἐπιτροχασμός.“

Πύσμα.

Aquila Rom. H. 25: „Πύσμα, quaesitum. Hoc genus a superiore (ἐρώτημα) eo differt, quod ad interrogatum una voce tantum responderi potest vel a negante vel a confitente.“

Alexander (W. VIII. 453.) hanc figuram ab ἐρωτήσει ea re differre docet, quod ad ἐρώτησιν responsum sit affirmans aut negans, ad πύσμα autem longiore responso sit opus.[1]).

Exemplum, quod apud Donatum invenitur, cum his dictis non dissentit.

Ph. 1025.

Quid mihi hic adfers, quam ob rem exspectem aut sperem porro non fore?

Schol. 1 ad v. 1025: „Quid mihi hic affers callidius hic usa est ad ultimum πύσματε[2]) conversa ad ipsum defensorem mariti ʻquid mihi hic affers’.“

Ὑποφορά et ἀνθυποφορά.

Tiber. W. VIII. 566: „Ὑποφορὰ δέ ἐστιν, ὅταν μὴ ἑξῆς προβαίνῃ ὁ λόγος, ἀλλ’ ὑποθείς τι, ἢ ὡς παρὰ τοῦ ἀντιδίκου ἢ ὡς ἐκ τοῦ πράγματος, ἀποκρίνηται πρὸς αὐτόν, ὥσπερ δύο ἀντιλεγόμενα πρόσωπα μιμούμενος. οἷον· ἐγὼ τοίνυν λογίζομαι τίνων ὁ Φίλιππος πρῶτον γέγονε κύριος μετὰ τὴν εἰρήνην; Πυλῶν καὶ τῶν ἐν Φωκεῦσι πραγμάτων.“

Orator igitur adversarii sententiam aliquam proponit et ei simul respondet.

Tiberius hanc dicendi rationem ita definit, ut una voce ὑποφορᾶς duas partes sermonis, et interrogationes et responsa, complecti videatur. Alii aliter vocibus ὑποφορᾶς et ἀνθυποφορᾶς utuntur. Apud nonnullos rhetores ὑποφορά interrogationem, ἀνθυποφορά responsum significat. Sed planius, quomodo veterum rhetores ὑποφοράν et ἀνθυποφοράν internoverint, disseruit Straub l. c. p. 95 sqq.

[1]) Cf. Zon. W. VIII. 678, Anon. W. VIII. 704.
[2]) sic Wessnerus. πύσματι Stephanus. υσματε V.

Julius Rufin H. 40 ἀπόφασιν hanc figuram vocat: „ἀπόφασις sive αἰτιολογία, venustum schema, ubi quasi alio interrogante nobis ipsis respondemus et rationem reddimus.“ Qui praeter nomem figurae cum Tiberio consentit.

Paululum autem ab eo recedit auctor schematum dianoeas. H. 73: „Ἀνθυποφορά . . , quae proponit quaestionem ab adversariis inlatam, ut apud Ciceronem Verres subicit: Magno, inquit, decumas vendidi.“

Definitiones antea allatae postulant, ut haec figura ex interrogatione et responso constet. Auctor eius definitionis, quam novissimam nominavi, tum quoque ἀνθυποφοράν esse docet, cum ab oratore sententia adversarii forma interrogandi carens dicatur eademque refutetur. Quam definitionem nisi haberemus, facile fieri posset, ut id, quod ad versum 159 Phorm. adnotatum legimus, Donato abiudicandum esse putaremus.

Ph. 157.

Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principiumst mali!
Non potitus essem: fuisset tum illos mihi aegre aliquot dies.

Schol. 2 ad v. 159: „Non potitus essem ἀνθυποφορὰ μονομερής 'non potitus essem'. non enim illa 'sed potiri voluisti' posuit, ut (Verg. Aen. IV. 603) 'verum anceps pugnae fuerat fortuna. fuisset', hic enim utraque pars ponitur.“

Hec. 837.

Ego dum illo licitumst usa sum benigno et lepido et comi.
Incommode mihi nuptiis evenit: factum fateor.

Schol. 3 ad v. 838: „Incommode mihi nuptiis ὑποφορά“. 5. „Factum fateor ἀνθυποφορά.“

Bene ad hunc locum illae figurae quadrant. Nam quis est, qui neget non multum interesse, utrum Bacchis adversarium fictum imitata interroget: „Nonne incommode tibi nuptiis evenit?“ an ratione affirmandi „incommode mihi nuptiis evenit“ utatur? Hoc exemplum nos docet

apud Donatum voces ὑποφοράν et ἀνθυποφοράν non idem significare, id quod apud nonnullos rhetores in usu fuisse supra vidimus, immo potius ab eo id, quod ab adversario opponitur, ὑποφορά appellatur, ἀνθυποφορά est refutatio.

Andr. 258.

Quod si ego rescissem id prius, quid facerem, siquis nunc me roget:
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem.

Schol. 3 ad v. 258: „Quod si rescissem ὑποφορά“. Hic verba adversarii ficti non oratione directa, sed obliqua referuntur; sed non est, cur hoc scholion interpolatum habeamus.

Andr. 395.

Nam quod tu speres: „propulsabo facile uxorem his moribus:
Dabit nemo“: inveniet inopem potius quam te corrumpi sinat.

Schol. 1 ad v. 396: „Inveniet inopem ὑποφορὰ εὔστοχος.“ 3. „Inveniet inopem sunt qui κατὰ ἀνθυποφοράν dici putant 'inveniet inopem potius quam te corrumpi sinat .“

Haec est condicio: Pamphilus veritus, ne sibi a patre suo uxor in matrimonium detur, quominus id fiat impedire conatur. Quam ob rem male et nefarie se gerere ei est in animo spe adducto ita fore, ut mulieres, ne sibi nuberent, recusarent. Itaque sensus verborum Davi hic fere est: „Hic fortasse dixeris te tuis moribus facile uxorem propulsaturum esse“. Quae spes, quam Pamphilo esse Davus arbitratur, a Davo verbis refutatur sequentibus: „inveniet inopem potius quam te corrumpi sinat.“

Duas interpretationes, quae hoc loco exstant, non ad unum commentatorem, sed ad duos redire facile intellegitur. Mea quidem sententia prior ὑποφοράν continens supposita est, nam Donatus, ut exemplum, de quo supra egimus, nos docuit, hic, cum sit refutatio, ἀνθυποφοράν accepisset.

Restat, ut loquar de

Ph. 781.

Praesens quod fuerat malum in diem abiit: plagae crescunt,
Nisi prospicis.

Schol. 1 ad v. 781: „Malum in diem ὑποφορά.“ 2. „Plagae crescunt ἀνθυποφορά“.

Non multis verbis opus esse censeo ad has adnotationes non Donati esse demonstrandum. Interpolator quidam has figuras hic exstare putavit, quod sententiae diversae occurrunt, ut fieri solet, ubi ὑπόφορά et ἀνθυποφορά aguntur.

Συγχώρησις.

Schemata dianoeas H. 74: „*Συγχώρησις* est concessio rei alicuius“.

Semel nobis occurrit *συγχώρησις* in

Ad. 188.

Haec est condicio: Sannio Aeschinum increpat, qui ei meretricem eripere velit, et hortatur, ut, priusquam domum eam abducat, viginti minas solvat; se postulare, ut modo aliquid aequi dicat. Quibus verbis auditis Aeschinus eum irridens

Vah, inquit, leno iniqua me non volt loqui!

Sannio tantum abest, ut se lenonem esse neget, ut exclamet:

Leno sum, fateor, pernicies communis adulescentium,
Periurus, pestis.

Schol. ad v. 188: „Leno sum figura *συγχώρησις*.“

Ph. 294.

Do istuc 'inprudens timuit adulescens': sino
'Tu servo's'.

Schol. 3 ad v. 294: „Imprudens timuit adulescens sino *σχῆμα διανοίας· συγχώρησις*.“

Recte his locis *συγχώρησις* figura adnotata est.

Ph. 396.

Ita ut dicis, ego tum cum advenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem.

Qui versus in eo numero sunt, ad quos duplex scholiorum series exstat:

„Ita ut dicis ego tum cum ad. ita sum, inquit, ut dicis avarus et superbus.“	„Qui mihi c. *σχῆμα διανοίας · συγχώρησις*.“

Ad verba „qui mihi c.“ adnotare „*σχῆμα διανοίας· συγχώρησις*“ absurdum esse apparet. Cum autem haec figura ad alterius serieri adnotationem quadret, haud scio an factum esse potuerit, ut ex loco, ad quem quadrat, falso in loco, in quo nunc stat, posita sit.

Ἐπανόρθωσις.

Figurae *ἐπανορθώσεως* definitio nusquam invenitur nisi in schematis lexeos, quae falso Julio Rufiniano adscribuntur. H. 52: „*Ἐπανόρθωσις* est, cum supra dictum verbum verbo sequenti corrigitur, ut: Non subripere hoc est, sed furari. Latine dicitur correctio.“ [1])

Andr. 190.

Dehinc postulo sive aequomst te oro, Dave, ut redeat iam in viam.

Schol. 4: „Dehinc post. *ἐπανόρθωσις*.“

Ad. 648.

Ut opinor has non nosse te, et certo scio.

Schol. 1.: „Et certe scio *ἐπανόρθωσις*: 'parum dixi' inquit.“

Cum in versibus allatis verba 'postulo' et 'opinor' verbis sequentibus corrigantur atque pro 'postulo' ponatur 'aequomst' et pro 'opinor' 'certo scio,' quia haec ei, qui inducitur, melius quadrare videntur, merito in scholiis '*ἐπανόρθωσις*' adnotata est.

Διαπόρησις.

Alexand. W. VIII. 454: „*Διαπόρησις δ᾽ἐστίν, ὅταν περὶ ἑνος πράγματος δύο ἢ καὶ πλείονας ἐννοίας ἔχωμεν, ἢ καὶ προσποιώμεθα μὴ οὔσας ἔχειν, εἴγε ἀποροῦμεν καὶ μὴ ἐφιστῶμεν ἐπ᾽ αὐταῖς.*“

Latine haec figura 'dubitatio' vocatur. Quintil. IX. 2. 19: „Adfert aliquam fidem veritatis et dubitatio, cum

[1]) Cf. Quintil. IX. 1. 30.

simulamus quaerere nos, unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum an omnino dicendum sit." [1])

Eun. 1044.

Quid commemorem primum aut laudem maxume?

Schol. 3: „Quid commemorem primum διαπόρησις oratoria."

Ad. 625.

Nunc quid faciam? dicam fratris esse hanc?

Schol.: „Nunc quid faciam figura διαπόρησις."

Ad. 789.

Ei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem aut querar?

Schol. 2 ad hunc quoque locum bene διαπόρησιν adnotat.

Hec. 361.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
Unde exordiar narrare.

In commentis ad v. 361 duas adnotationes ʽδιαπόρησιν' continentes invenimus: 2. „Nequeo mearum r. haec est Homerica illa διαπόρησις (Od. IX. 14) ʽτί πρῶτόν τοι ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω"; et 3. „Nequeo mearum rerum initium hoc principium magna διαπορήσει oneratur, ut ostendantur aerumnae et multae et graves." Διαπόρησις figura hic recte est expressa. Mea quidem sententia altera Donati est, quippe quae stilum grammaticum oleat.

Hec. 516.

Perii, quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo
Misera?

Schol. 4 ad v. 516: „Quid agam q. m. v. figura διαπόρησις apta turbatis."

Ph. 186.

Loquar? incendam: taceam? instigem: purgem me? laterem lavem.

Schol. 4.: „Loquarne incendam taceam instigem σχῆμα διαπόρησις."

[1]) Cf. Aquila Roman. H. 25, Julius Rufin. H. 40, Schemata dian, H. 75, Phoeb. W. VIII. 512, Tiber. W. VIII. 533, Zon. W. VIII. 678, Anon. W. VIII. 703.

Παράδοξον.

Quintil. IX. 2. 22 sq.: „Sed nonnunquam communicantes aliquid inexpectatum subiungimus, quod et per se schema est, ut in Verrem Cicero: quid deinde? quid censetis? furtum fortasse aut praedam aliquam? . . . hoc Celsus sustentationem vocat . . , sed παράδοξον alii nominarunt, id est inopinatum." [1])

Andr. 702.

Pamph. „Quis videor?" Char. „Miser aeque atque ego."

Schol. 2.: „Et intulit παράδοξον, nam volebat sibi dici ʽfortis', quod illi tamen mox dicetur."

Pamphilus Charinum, quis esse videatur, sperans se ab illo laudatum iri interrogat. Ille autem praeter opinionem miserum eum esse respondet. Itaque παράδοξον bene ad hunc versum adscriptum est.

Nonnunquam pro ʽπαράδοξον' inveniuntur in scholiis παρὰ προσδοκίαν' et ʽἀπροσδοκήτως'."

Eun. 14.

Dehinc ne frustretur ipse se aut sic cogitet.

Schol. 2: „Ne frustretur ipse se παρὰ προσδοκίαν dicitur, sed ἠθικῶς addidit."

Eun. 98.

Credo, ut fit, misera prae amore exclusti hunc foras.

Schol. 3.: „Exclusti hunc foras παρὰ προσδοκίαν intulit intuens puellam et ei ostendens Phaedriam, ut ostendat, quam falsa ac repugnantia loquatur meretrix."

Ph. 207.

Ge. „Quid faceres, si aliud quid gravius tibi nunc faciundum foret?"
Ant. „Cum hoc non possum, illud minus possem."

Schol. 1 ad v. 208: „Qui hoc non possum, illud minus possem hoc intulit παρὰ προσδοκίαν, nam videbatur hac interrogatione adduci posse ad sententiam percunctantis."

[1]) Cf. Julius Rufin. H. 46.

Eun. 778.

. . imperatoris virtutem noveram et vim militum:
Sine sanguine hoc non posse fieri: qui abstergerem volnera?

Schol. 1 ad v. 779: „Sine sanguine hoc fieri non posse ἀπροσδοκήτως."

Andr. 696.

Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant
Qui inter nos discidium volunt: hanc nisi mors mihi adimet nemo.

Schol. ad v. 696: 3. „Valeant hoc est abeant, recedant, quia et discedentibus et mortuis 'vale' dicitur . ." 4. „Vel potius τῷ εὐφημισμῷ: cum male optaturus esset, considerato patre παραδόξως locutus est et non dixit, quod intenderat, 'pereant'."

Hic non difficile est, quid Donati sit, ab eo, quod est interpolatum, secernere. Illam adnotationem, cum perbene 'valeant' explicet, genuinam habeo; hanc autem interpolatam, cum neque 'εὐφημισμός' neque 'παράδοξον' ad hunc locum quadrent. Praeterea verba „vel potius," quibus scholion quartum cum tertio coniunctum est, commentatorem posteriorem, qui Donato sibi sapientior videbatur, produnt.

Ἐπιτροπή.

Rutilius Lupus. H. 20: „Ἐπιτροπή. Hoc fieri solet, cum alicui rei vehementer confidimus et de nostro iure iudicibus largimur, ut, quem ad modum videatur illis, constituant atque eo pareamus. Hyperidis: Sed ego iam, iudices, summum ac legitimum, quod exposui, meae causae ius omitto: vobis, quod aequissimum videatur, ut constituatis, permitto."

Julius Rufinian. H. 45: „Ἐπιτροπή. Haec fit, cum figurate concedimus, quod velit quis faciat." [1])

Quintilianus (IX. 2. 25) permissionem hanc figuram vocat.

[1]) Cf. carmen de figg. H. 66, Herodian. W. VIII. 602.

Andr. 310.

Char: „Tu si hic sis, aliter sentias." Byrria: „Age age ut lubet."

Schol. 3. bene docet: „Age age ut l. adversus haec non habuit, quid loqueretur, et est permissio reprobantis ea, quae sentit."

Andr. 649.

Habeas (mulierem).

Schol. 1. „Habeas permissio animi irati."

Ad. 130.

Micio; „Curemus aequam uterque partem . . ."

Demea: „Ah, Micio mihi sic videtur."

Schol. ad v. 132: „Ah Micio religiose commotus est ac veluti incusatio est perfidiae et ideo exclamat dolens et transit in iracundiam concessionemque, quae ἐπιτροπή dicitur." [1])

Ad. 134.

Quid istic? si tibi istuc placet, profundat, perdat, pereat.

Schol. 1. „Profundat perdat ἐπιτροπή figura."

Ad. 991.

Missa facio: effundite, emite, facite quod vobis lubet.

Schol. 3. „Haec ἐπιτροπή est figura, qua invitos nos permittere ostendimus quod nolumus fieri."

Quae exempla definitionibus supra allatis respondere neminem effugiet. In his eos, quibus facere conceditur, quae velint, iudices non esse, id quod postulatur in definitionibus, sed, ut natura comoediarum secum fert, eas personas, quae inducuntur, nihil interest.

Διασυρμός.

Aquila Rom. H. 26: „Διασυρμός, elevatio vel irrisio, ea figura est, qua ludentes, quae dicuntur ab adversariis, dissolvimus." [2]).

[1]) Voce 'concessio' auctor quoque incertus carminis de figuris. H. 66. ἐπιτροπήν vertit. Itaque 'ἐπιτροπή' merito in textum recepta est, sive Stephanus correxit sive ex codicibus hausit.

[2]) Cf. Julius Rufinian. H. 39, Schemata dian. H. 75, Alexand. W. VIII. 457, Zon. W. VIII. 679, Tiber W. VIII. 512, Phoeb. W. VIII. 572.

Ad. 427.

Moneo, quae possum pro mea sapientia.

Schol.: „Pro mea sapientia διασυρτικῶς 'sapientia' dixit, quia condimenta gustu et sapore temperant coqui."

Ἀποστροφή.

Quintil. IX. 2. 38: Aversus quoque a iudice sermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire movet."

Aquila Rom. H. 25: „Ἀποστροφή, aversio, necessaria plerumque figura, ubi quae ad alios dicta volumus, ad alios dicere videmur."

Zon. W. VIII. 677: „Ἀποστροφή, ὅταν ἀφ' ἑτέρου πρὸς ἕτερον πρόσωπον ἀποστρέψωμεν τὸν λόγον." [1]).

Hec. 324.

Cesso hinc ire intro, ut hoc quam primum, quidquid est, certo sciam?
Quo nam modo, Philumena mea, nunc te offendam adfectam?

Bene schol. 1 ad v. 325 adnotat: „Quonam modo Philumena amatoria ἀποστροφή." Pamphilus sermonem a Parmenone, quocum ante locutus est, ad Philumenam, quae non adest, avertit.

Aequali modo illustratus est versus

Ph. 200.

Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?
Quod si eo meae fortunae redeunt, Phanium, abs te ut distrahar,
Nullast mihi vita expetenda.

Schol. 3 ad v. 201: „Phanium abs te ut distrahar amatoria προσφώνησις per ἀποστροφήν."

Antipho orationem a Geta ad Phanium absentem convertit.

Hec. 143.

. . Diebus sane pauculis
Post Pamphilus me solum seducit foras
Narratque, ut virgo abs se integra etiam tum siet,

[1]) Cf. Alexand. W. VIII. 453, Herodian. W. VIII. 596, Phoeb. W. VIII. 513, Tiber. W. VIII. 534, Anon. W. VIII. 703.

Seque ante quam uxorem duxisset domum
Sperasse eas tolerare posse nuptias.
'Sed quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi a suis,
Neque honestum mihi neque utile ipsi virgini est'.

Schol. 2 ad v. 148: „Sed quam decreverim me non posse diutius habere ἀποστροφὴ καὶ ἠθοποιία ἀπὸ διηγήματος εἰς μιμητικήν." [1])

Si praecepta veterum rhetorum sequimur, hoc loco ἀποστροφήν esse nos negare opus est: oratio non ad aliam personam avertitur, sed Parmeno primo quidem, quae ipse sentit, profert, deinde Pamphili verba oratione directa usus repetit. Donatum hanc dicendi rationem προσωποποιίαν appellare supra vidimus. Quae cum ita sint, hoc scholion ad interpolatorem quendam redire statuendum est.

Andr. 312.

Ipsum hunc orabo, huic supplicabo, amorem huic narrabo meum.

Schol. 1 ad v. 312: „Per ἀποστροφήν finguntur . . .[2])

Mea quidem sententia hic ἀποστροφή figura non est accipienda. Charinus cum Byrria colloquitur; ad quos cum Pamphilus adeat, Charinus Byrriam, quid ab eo sibi in animo sit postulare, certiorem facit. Neque igitur, ut definitiones praescribunt, sermo ad aliam personam avertitur, neque Charinus ea verba, quae ad Byrriam facit, a Pamphilo audiri vult. Si tamen a commentatore 'ἀποστροφή' adnotata est, eum nihil aliud significare voluisse puto nisi Charinum vultum a Pamphilo avertere. Itaque hoc loco non figura rhetorica, sed gestus quidam significatus est.

In hoc quoque exemplo 'ἀποστροφή' gestum exprimit:

[1]) Quae verba utrum sint hausta ex codice Cuiacii an sint coniectura Lindenbrogii, incertum est.

[2]) per ΑΠΟΣΤΡΟΦΕΝ cod. A., ἐπιστροφήν M[4]. Vocem 'ἀποστροφεν', quam praebet cod. A., recte a Wessnero in 'ἀποστροφήν' mutatam esse puto.

Hec. 761.

Facilem benivolumque lingua tua iam tibi me reddidit:
Nam non sunt solae arbitratae hae:[1]) ego quoque etiam
credidi.

Schol. 2 ad v. 762: „Hae cum *ἀποστροφῇ*.“ Laches, cum dicit „hae“ ad domum suam se avertit et mulieres, quae insunt, digito demonstrat.

In adnotationibus, quas ad versus Hec. 66, Phorm. 372, 373 scriptas videmus, ʽ*ἀπόστροφος*ʼ est terminus grammaticus.

Μετάστασις.

Alexand. W. VIII. 458: „*Μετάστασις δ'ἐστίν, ὅταν ἀφ' ἑαυτῶν μεθιστῶμεν τὴν αἰτίαν ἐφ' ἕτερον ἔξω τοῦ πράγματος ὄντος.*“[2]).

Metastasis igitur, ut iam paucis repetamus, fit, cum culpam alicuius rei alii attribuimus.

Ph. 273.

Sed siquis forte malitia fretus sua
Insidias nostrae fecit adulescentiae
Ac vicit, nostran culpa east an iudicum?

Schol. 2 ad v. 275: „Nostrane culpa an iudicum duplex *μετάστασις*, altera in accusatores, altera in iudices.“

Παράλειψις.

Aquila Rom. H. 24: „*Παράλειψις*, praeteritio. Frequens est huius figurae usus, ubi quasi praetermittentes quaedam nihilo minus dicimus.“

Alexand. W. VIII. 452: „*Παράλειψις δέ ἐστιν, ὅταν δοκοῦντές τι παραλιπεῖν μηδὲν ἧττον λέγωμεν αὐτό.*“[3])

[1]) Umpfenbach et Dziatzko in editionibus suis habent ʻhaecʼ. Ego cum codicibus BCEFP scripsi ʻhaeʼ, quod Donatus quoque praebet in lemmate. ʻhaecʼ Bentleius ex libris. ʻheʼ D. — Cod. A.: KAP, quod facilius corrumpi potuit ex, ʻHAEʼ quam ex ʻHAECʼ.

[2]) Cf. Aquila Rom. H. 26, Schemata dian. H. 73, Zon. W. VIII. 679, Anon. W. VIII. 705.

[3]) Cf. Phoeb. W. VIII. 507, Zon. W. VIII. 677, Anon. W. VIII. 702. Demetr. ed. Raderm. p. 55. Copiosius de *παραλείψει* scripserunt Monse p. 34 et Straub p. 102.

Hec. 420.

Nam alias ut mittam miserias unam hanc vide.

Schol. 1 ad v. 420: „Nam alias ut omittam miserias *παράλειψις* oratoria.“

Ph. 166.

. . tu conicito cetera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, et quid tu ex
ista copia,
Ut ne addam, quod sine sumptu ingenuam, liberalem
nactus es.

Commenta haec praebent ad v. 168. 1. „Ut ne addam *παράλειψις* figura, in qua velut ex abundanti enumerantur adiecta.“ 3. „Ut ne addam *σχῆμα τῆς παραλείψεως.*“

Utra adnotatio Donati sit, haud facile disceptari posse puto.

Praeterea huc trahendum est scholion ad v. 473 Hec.

Ἐξουθενισμός.

Julius Rufinian. H. 39: „*Ἐξουθενισμός.* Figura haec fit, cum rem aliquam extenuamus et contemtam facimus.“

Hec. 550.

Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem aut intro euntem ad amicam.

Schol. 4 ad v. 551: „Et mollis est *ἐξουθενισμός* criminis de consuetudine: non enim dixit ʽamplectentem amicamʼ.“

Eun. 982.

Emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret.

Schol. 1 ad v. 982: „. . deinde *τὸ* ʽquendamʼ *ἐξουθενισμόν* et *εὐτέλειαν* significat.“ ʽQuendamʼ enim contemptionem et obtrectationem exprimit.

Hec. 35.

Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.

Schol. ad v. 36: „Ut ante tempus exirem foras *τῷ ἐξουθενισμῷ*, ne gravem passus videatur iniuriam.

Hec. 320.

. . . Uxorem Philumenam
Pavitare nescio quid dixerunt: id si forte est nescio.

Schol. ad v. 320: „Uxorem Philumenam pavitare τῷ ἐξουθενισμῷ."

Ἐνάργεια.

Schemata dianoeas. H. 71: „Ἐνάργεια est imaginatio, quae actum incorporeis oculis subicit et fit modis tribus: persona, loco, tempore . . . . Tempore, cum praeterito utimur quasi praesenti, ut: Apparent rari nantes in gurgite vasto." [1])

Qua cum definitione comparemus locos Terentianos.

Eun. 594.

Sto exspectans, si quid mihi imperent.

Schol. 1 ad v. 594: „Sto exspectans si quid mihi imperent ἐνάργεια: non enim dixit 'stabam'."

Hec. 174.

Relinquit cum matre hic uxorem.

Schol. 1.: „Relinquit ἐνάργεια praesentis temporis."

Hec. 295.

Tamen numquam ausus sum recusare eam quam mihi obtrudit pater.

Schol. 1 ad v. 296: „Et 'obtrudit' pro 'obtrudebat': ἐνάργεια temporis."

Ph. 103.

Imus, venimus, videmus: virgo pulchra.

Schol. 4 ad v. 104: „Imus venimus videmus virgo pulchra συντομία μετ' ἐναργείας."

Eun. 971.

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi
Neque agri neque urbis odium me umquam percipit.
Ubi satias coepit fieri, commuto locum.

Schol. 1 ad v. 973: „Ubi satias coepit suffecerant ad hanc sententiam duo superiores versus, sed hic ἐνάργεια est senilis eloquii, faceti et garruli simul."

---

[1]) Cf. Demetr. ed. Raderm. p. 45.

Χαρακτηρισμός.

Rutilius Lupus. H. 16: „Χαρακτηρισμός. Quem ad modum pictor coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate aut vitia aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat." [1])

Hec. 352.

Atque eccum video ipsum egredi: quam tristis est!

Schol. 1 bene docet: „Quam tristis est χαρακτηρισμὸς locuturi Pamphili."

Ἐπαγωγή.

Julius Rufinian. H. 45: „Ἐπαγωγή. Fit haec ex rerum similium collatione vel argumentorum, salva tamen similitudine."

Ad. 114.

Tuom filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: siquid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem fero.

Schol.: „Tuum filium dedisti adoptandum m. argumentatio per ἐπαγωγήν, quae inductio ab oratoribus (cf. Cic. de inv. I. 31, 51.) dicitur, cum per interrogationem pervenimus ad id quod volumus concludendum."

Hec. 451.

Dixtin dudum illam dixisse, se exspectare filium?

Schol. 1: „Dixtin dudum illam dixisse se exspectare filium facete principium interrogantis est, ita ut sciat quid sibi responsurus sit, quem interrogat: illaturus est enim argumentum per ἐπαγωγήν."

Ph. 207.

Ge: „Quid faceres, si aliud quid gravius tibi nunc faciendum foret?"
An: „Cum hoc non possum, illud minus possem."

Schol. 1 ad v. 208: „Qui hoc non possum, illud minus possem. hoc intulit παρὰ προσδοκίαν. nam videbatur hac interrogatione adduci posse ad sententiam percunctantis. et haec est dialectica contra ἐπαγωγήν, cum male respondendo callidae interrogationis interrumpimus argumentum."

---

[1]) Cf. Trypho. W. VIII. 751, Cocondr. W. VIII. 795.

Ὁρισμός.

Rutilius Lupus H. 14: „Ὁρισμός. Hoc fit, cum definimus aliquam rem nostrae causae ad utilitatem neque tamen contra communem opinionem.“ [1]).

Ph. 273.

Sed siquis forte malitia fretus sua
Insidias nostrae fecit adulescentiae
Ac vicit, nostran culpa east an iudicum,
Qui saepe propter invidiam adimunt diviti
Aut propter misericordiam addunt pauperi?

Schol. 3 ad v. 277: „Et oratorie naturam iudicum τῷ ὁρισμῷ expedivit.“

Ἔμφασις.

Quintil. IX. 2. 64: „Est emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur.“

Id. VIII. 3. 83: „Vicina βραχυλογίᾳ, sed amplior virtus est emphasis, altiorem praebens intellectum quam quem verba per se ipsa declarant. Eius duae sunt species; altera, quae plus significat quam dicit, altera, quae etiam id, quod non dicit.“ [2]).

Ex conspectu figurarum, quem composui, intellegi potest ἔμφασιν in commentis viginti et septem locis adnotatam esse. Ut recte et aperte cognoscatur, quid sibi velit ἔμφασις, quam in commentariis invenimus, liceat mihi afferre primum quidem eos locos, quibus commentatorem a Quintiliano non abhorrere censeo, deinde ceteros.

Andr. 384.

Egon dicam?

Schol. 1: „Egone dicam τὸ 'ego' ἔμφασιν habet, hoc est vel: quem non oporteat dicere, vel: quem non conveniat fallere atque mentiri.“

Eun. 67.

Haec verba una me hercule falsa lacrimola restinguet.

Schol. 1: „Haec verba ἐμφατικῶς 'verba' dicit, quae scilicet nihil effectura sunt.“

[1]) Cf. carmen de figg. H. 67, Herodian. W. VIII. 601.
[2]) Cf. Tiber. W. VIII. 543, Tryph. W. VIII. 746.

Eun. 788.

Sed eccam Thaidem ipsam video.

Schol. 1: „Sed eccam Thaidem ipsam 'eccam' et 'ipsam' figura ἔμφασις, quasi 'eccam' causam belli et 'ipsam' contra quam pugnandum est.“

Hec. 214.

Tu inquam mulier, quae me omnino lapidem, non hominem putas.“

Schol. 1 ad v. 214: „Tu inquam mulier quae me τὸ 'mulier' ἔμφασιν malitiae habet et omnino expressio consuetudinis est ad indignationem.“

Ph. 114.

. . illam civem esse Atticam
Bonam bonis prognatam.

Schol. 3 ad v. 114: „Illam civem esse Atticam 'illam' cum ἐμφάσει vel αιρης dixit, quasi dicat quam sic contemnant, eam esse civem Atticam.“

Ad. 645.

Amicus quidam me a foro abduxit modo huc advocatum sibi.“

Schol. 1: „. . . 'huc' et 'quidam' modo ἔμφασιν habent lenis negotii et in quo nec magnae personae nec res difficilis operae aut longae occupationis habeantur.“

Eun. 307.

Nunc, Parmeno, te ostenderis, qui vir sies.

Schol. 2. „Ostenderis, qui vir sies non 'qui sies', sed quod est ἐμφατικώτερον, 'qui vir sies'.“

Huc spectant Andr. 787, 810; Eun. 626; Phorm. 120.

Quibus in exemplis ἐμφάσεως significatio similis ei est, quam saepe aliis locis invenimus, ubi ἐμφάσει idem significatur, quod vim aut gravitatem appellamus.

Andr. 18.

Qui cum hunc accusant, Naevium Plautum Ennium accusant.

Schol. 1: „Qui cum hunc accusant Naevium Plautum Ennium a. in singulis magna ἔμφασις auctoribus, sed ordo non est servatus: Ennius namque ante Plautum fuit. sed quod est summum auctoritatis, Ennium ultimum dixit.“

Andr. 37.

Feci ex servo ut esses libertus mihi.

Schol. 3: „Et mihi ἔμφασιν habet: quod mihi libertus factus sis, non filio."

Ad. 40.

Atque ex me hic natus non est, sed ex fratre.

Schol. 2: „Et ἐμφατικώτερον[1] 'ex me natus' dixit, quam si diceret 'meus natus'."

Conferas praeterea: Eun. 459; Ad. 214; Phorm. 200.

Nonnunquam haec figura commemorata est, ubi pluralis numerus pro singulari positus est.

Andr. 96.

Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere et laudare fortunas meas.

Schol. 3 ad v. 96: „ . . . ἐμφατικώτερον 'fortunas' quam 'fortunam'.

Eun. 324.

Neque quemquam ego esse hominem arbitror, cui magis bonae
Felicitates omnes adversae sient.

Schol. 4 ad v. 325: „Et magna ἔμφασις, quod 'felicitates' pluraliter posuit."

In exemplis allatis, quid ἐμφάσει commentator dicere voluerit, pernosci potest, sed non intellego, quid valeat ἔμφασις in his locis:

Eun. 51.

Verum si . .
Infecta pace ultro ad eam venies.

Reputate enim, quo spectet, quod ad haec verba adnotatum est in schol. 1 ad v. 53: „Infecta pace ἔμφασις per μεταφοράν." Quae verba non plus significant quam dicunt eorumque sententia: dum est discidium aut tale quid.

---

[1]) Codices praebent ϱον. Quoniam vidimus, quid sibi velint in his commentis voces 'ἔμφασις' et 'ἐμφατικῶς' Wessneri coniecturam 'ἐμφατικώτερον' ad hunc locum perbene quadrare nemo negabit.

Ph. 112.

Postridie ad anum recta pergit.

Schol. 3: „Postridie ad anum recta ἐμφατικῶς statim, ut qui posthabuerit omnia alia."

Huc trahendum est Ad. 646.

Iamiam omnibus locis examinatis ita statuendum esse puto, ut illae prius tractatae adnotationes cum Quintiliani definitione consentientes tribuantur Donato, abiudicentur ceterae (Eun. 51. Ph. 112. Ad. 646).

Sed iam satis mihi multa dixisse videor de figuris elocutionis, vitiis orationis, tropis, figuris sententiarum Donatianis ab interpolatis seiungendis. Vidimus maiorem locorum excussorum partem Donato assignandam, minorem abiudicandam esse. Sic tandem apparet Schopenum, cum diceret maiorem scholiorum particulam Donati esse, non erravisse, si modo recte iudicavimus scholia, quae a praeceptis Donati et rhetorum, qui cum Donato consentire solent, recedant, non profecta esse a Donato, sed a posterioribus interpretibus addita.

VITA

Natus sum Johannes Schroeder anno 1886 pridie kal. Jan. in urbe Coeslin patre Alberto, matre Ida e gente Petermann, quam iam anno 1892 mortuam esse valde doleo. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum primordiis in schola urbana, quae dicitur, Coeslinensi imbutus gymnasium Coeslinense per novem annos frequentavi. Vere anni 1906 maturitatis testimonium consecutus in Fridericianae-Halensis cives receptus sum, ut studiis litterarum Graecarum et Latinarum operam darem. Ab autumno h. s. VII. usque ver h. s. VIII. Berolini studia mea continuavi. Deinde Albertinam-Regimontanam petivi, ubi iisdem studiis operam navavi.

Scholas frequentavi virorum doctissimorum:

Halis Saxonum: Bechtel, Blass †, Bremer, Dittenberger †, Ebbinghaus †, Ihm †, Strauch, Robert, Wissowa.

Berolini: Diels, Lasson, R. M. Meyer, Norden, Roethe, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff.

Regimonti: Baumgart, Deubner, Goedeckemeyer, Jeep, Kowalewski, Ludwich, Rossbach, Tolkiehn, Wrescinski, Wuensch.

Halis proseminario philologorum, quod Ihm et Consbruch regebant, per bis sex menses interfui, Regimonti, quod Jeep moderabatur, unum semestre. Seminarii sodalis Deubnero, Jeepio, Wuenschio regentibus per tria semestria eorumque unum senior fui. Praeterea ad exercitationes archaeologicas benigne me admiserunt Halis Robert et Regimonti Rossbach. Societati denique Plautinae a Ludovico Jeep gubernatae per ter sex menses, Graecae a Ludovico Deubner et Ricardo Wuensch institutae per quattuor semestria interfui.

Quibus omnibus viris doctissimis gratias ago maximas, praecipue autem Ludovico Jeep, qui cum in multis aliis rebus, tum in hac commentatione conscribenda semper summa cum benignitate me adiuvit.

Tab. C.

Figurarum sententiarum conspectus.[1]

Tab. A.

Vitiorum orationis conspectus.

		Andria	Eunuchus	Adelphoe	Hecyra	Phormio
1.	κακέμφατον			214.	206.	
2.	περισσολογία			959.		
3.	μακρολογία			68. 241.		
4.	ταυτολογία				626.	34.
5.	ἔλλειψις	57. 120. 129. 191. 232. 285. 300. 361. 468. 469. 496. 609. 635. 817. 869. 872. 886.	44. 65. 133. 143. 171. 202. 271. 279. 396. 477. 479. 789. 849. 889. 1050. 1056.	158. 165. 198. 264. 265. 270. 277. 299. 330. 382. 539. 582. 758. 787. 943. 981. 986.	111. 165. 270. 278. 875.	38. 52. 78. 142. 144. 194. 255. 351. 440. 478. 508. 964.
6.	ταπείνωσις		274.			
7.	ἀμφιβολία	68. 156. 261. 262. 564. 896. 955.		33. 86.	88. 167. 772.	22. 33. 74. 366.

Tab. B.

Conspectus troporum.

		Andria	Eunuchus	Adelphoe	Hecyra	Phormio
1.	μεταφορά	192. 208. 480.	53. 103. 236. 245. 312. 354. 1023.	220. 229. 239. 835. 860.	649.	229. 326.
2.	κατάχρησις		816.			
3.	μετάληψις	502. 533. 674.	809.			
4.	μετωνυμία		732.			
5.	ἐπίθετον		325. 515.			
6.	συνεκδοχή	371.		261.		
7.	ὀνοματοποιία				517.	
8.	περίφρασις	202.			32. 33.	
9.	ὑπέρβατον		785.			
	ἀναστροφή	171. 211.	139.		393. 630.	200. 732.
	παρένθεσις	568.	384. 780.	150.	62. 385.	123. 125. 337. 372. 654.
	τμῆσις	63.	721.	382.	630.	
10.	ὑπερβολή	93. 676.	55. 231. 285. 310. 422.	149. 234. 299. 394. 761.	97. 217. 438.	43. 68. 535.
11.	ἀλληγορία		426.	958.		
	εἰρωνεία	204. 315. 436. 489 505. 552. 604. 616. 668. 692. 703. 755. 787. 846. 869. 915.	89. 161. 224. 237. 288. 317. 403. 431. 457. 468. 579. 660. 730. 785. 861. 894. 908. 1023. 1090. 1093.	176. 187. 193. 372. 395. 476. 566. 586. 721. 722. 723. 923.	436. 485. 647. 663.	134. 160. 164. 234. 259. 287. 501. 968.
	ἀντίφρασις	128. 782.		26.		134.
	παροιμία	555.	381.			78. 203. 318.
	ἀστεϊσμός		342.			151.

Tab. C.

Figurarum sententiarum conspectus.[1])

		Andria	Eunuchus	Adelphoe	Hecyra	Phormio
1.	*προσωποποιία*	286.				
2.	*ἠθοποιία* vel *μίμησις*	110. 286. 387. 773.	15. 156. 308. 580. 595.	204. 308.	133. 148. 803.	102. 141.
3.	*ἐρώτησις* vel *ἐρώτημα*				70.	275. 683.
4.	*ἐπιτροχασμός*		804.	670.		390.
5.	*πύσμα*					1025.
6.	*ὑποφορά*	258. 396.			838.	781.
7.	*ἀνθυποφορά*	396.			838.	159. 781.
8.	*συγχώρησις*			188.		
9.	*ἐπανόρθωσις*	190.		648.		
10.	*διαπόρησις*		1044.	625. 789.	361. 516.	186.
11.	*παράδοξον*	68. 696. 702.	14. 98. 779.			208.
12.	*ἐπιτροπή*	310. 649.		132. 134. 991.		
13.	*διασυρμός*			427.		
14.	*ἀποστροφή*	312.			66. 148. 325. 762.	201. 372. 373.
15.	*μετάστασις*					275.
16.	*παράλειψις*				420. 473.	168.
17.	*ἀποσιώπησις*[2])	149. 165. 381. 469. 747. 767. 790. 872. 886.	65. 184. 350. 405. 626. 797. 889. 927. 990.	135. 153. 275.	744. 745.	51. 57. 110. 111. 121. 122. 232. 255. 491. 496. 618. 900.
18.	*ἐξουθενισμός*		982.	119. 729.	36. 320. 551.	
19.	*ἐνάργεια*		594. 973.		174. 296.	104.
20.	*χαρακτηρισμός*				352.	
21.	*ἐπαγωγή*			114.	451.	208.
22.	*ὁρισμός*					277.
23.	*ἔμφασις*	18. 37. 96. 145. 384. 787. 810.	53. 67. 168. 307. 325. 459. 626. 788. 994.	40. 214. 645. 646.	214.	112. 114. 120. 169. 200.

[1]) Ordo secundum Volkmann l. c. p. 416 sqq.
[2]) cf. p. 11.